DE VERBO INCARNATO

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/deverboincarnato0000unse_x2c3

DE VERBO INCARNATO

TRACTATUM

A

DOMINICO GAYE, S. J.

CONCINNATUM

RECOGNOVIT ET AUXIT

PAULUS GALTIER, S. J.

(Ad usum stricte privatum).

ALMA COLLEGE
233
LIBRARY
G255
Alma, California

ROLLARII FLANDRORUM
TYPOGRAPHIA JULII DE MEESTER
Via dicta Sti Alphonsi, 9 & 11.

3522

AD « LECTORES » ET « AUDITORES ».

« Liber textus » auditoribus theologiae ut possit esse quam citissime ad manum, editio fit tractatus *de Verbo Incarnato*, quem a P. Dominico Gaye concinnatum et non semel recognitum non paucos olim volvere manu et in schola audire juvabat.

Additamenta plura quam recognitiones feci, et haec est causa cur in modo tum theses proponendi, tum auctoritates allegandi desit uniformitas. Tractatui tamen sua servata est forma, ita ut mera manuductio sit ad scholas praeparandas, seu synopsis eorum quae in scholis « lectores » evolvenda, « auditores » sibi adnotanda habebunt.

Angiae Belgarum, 24 Septembris 1912.
P. G. s. j.

EXPLICANTUR ALIQUAE ABBREVIATIONES.

D. B. = Enchiridion symbolorum, ed. Denzinger-Bannwart.
F. vel Fr. = Franzelin : De Verbo incarnato.
H. = Hurter : Theologiae compendium.
K. = Kirch : Enchiridion fontium hist. eccles.
M. = Migne : Patrologia graeco-latina.
P. = Pesch : Praelectiones dogmat. t. IV. De Verbo Incarn.
R. J. = Rouët de Journel : Enchiridion patristicum.
Th. = S. Thomas.
W. = Wirceburgenses : De Incarnatione.

Ubi S. Thomae *Summa* citatur, non indicata parte, agitur de tertia.

Ubi ad Suarez, Lugo, etc. remittitur, numeri romani indicant *Disputationes de Incarnatione.*

DE VERBO INCARNATO.

PROOEMIUM.

I. **SUMMA DOCTRINAE CATHOLICAE DE INCARNATIONE** in hac sententia continetur : Christus est simul verus Deus et verus homo, una persona Homo-Deus, totius generis humani Redemptor. Eam enuntiant et exponunt *symbola* vel *definitiones fidei :*

1° *Symb. Apost.* (D. B. 1-18). — 2° Conc. Nic., anno 325 (n. 54) et CPlm., a. 381 (n. 86), contra Arianos, etc. — 3° Anath., S. Damasi, a. 378 (n. 58, sqq), contra Arian., Apoll., alios. — 4° Conc. Ephes. c. Nestor., a. 431 (n. 113, sq.). 5° *Epist.*. S. Leon M. *ad Flav.* c. Eutych... (n. 133, s.) Ad cujus epist. normam statuit C. Chalc. a. 451 (n. 148). — 6. *Symbol. Athan.* (n. 29). — 7° Hormisdae et Jo. II. judicia de hac propos : « Unus de Trinitate »... (n. 171) : — 8° Conc. CPlm. II, de trib. capit., a. 553 (n. 215) — 9° Conc. Later. sub Mart. I, a. 649 (n. 255) ; — 10° C. Tolet. XI, a. 675 (n. 282). — 11° S. Agathon *ep. dogm.* (n. 288) ; C. CPlm. III, c. Monothel. a. 680 (n. 285) ; — 12° Adriani I *ep.* a. 785 et 794, de Adoptian. (n. 299, 310) ; C. Francof. a. 794 (n. 314) — 13° C. Later. IV a. 1215 (n. 429) ; — 14° *professio fidei oriental. praescr...* (n. 1459) ; — 15° de Christo redemptore totius hñi generis, adde n. 319, 323, 711, 790, 794, 795, 799, 809, 820, 821, 1096, etc.

II. **HAERESES**. Errores circa hoc mysterium versari possunt vel circa constitutionem Christi vel circa munus ejus redemptivum. Plerumque tamen, et jure, denominatae sunt haereses ex errore fundamentali circa constitutionem Christi.

Chronologice distinguendi sunt errores antiqui et recentiores.

A) Errores antiqui — quorum summam habes in *decreto Florentino pro Jacobitis* (D. B. 708 sqq) — Cf. Tixeront : *Hist. des dogmes.* t. I-III.

Prima Series : Haereses *trinitariae* quae errores de ipsa Christi constitutione connexos habent.

1° Aevo apostolico : a) Doctores illi, de quibus *I Joan.* II. 22-23 ; IV. 2-3, 15, qui negabant Christum esse Filium Dei vel « in carne » venisse. — b) **Cerinthus**, de quo cf. Iren. (*Haeres.* l. III cp. III, 1, et l. I cp. XXVI, 1), qui Jesum docebat fuisse merum hominem in quem, ad passionem exclusive usque, descendisset, die baptismatis, virtus divina vocata sive Christus, sive Sp. S. — b) **Docetae**, quos alludit S. Ignatius : *Trall.* IX-X.

2° Seculo secundo.

a) **Ebionitae**, quorum doctrina christologica eadem est ac Cerinthi.

b) **Gnosticorum** innumerae sectae : quarum aliae Christum merum hominem habent (Carpocrates et Justinus), aliae, et quidem pleraeque, *dualismum* in X° profitentur, ita ut *Jesus* sit homo in quem aeon *Christus*

devenerit ad elementa bona in mundo materiali sparsa redimenda : haec autem redemptio facta est scientiae seu γνώσεως communicatione — Humanitatem porro Christi Salvatoris aliquae sectae tenent fuisse mere apparentem.

c) **Marcion**, qui, Christum Nov. T^{i} opponens Christo praenuntiato in Vet. T^{to}, docuit Redemptorem esse Deum verum et benignum qui, sub Tiberio, non natus, apparuit in corpore mere phantastico, ut mundum a Deo Vet. T^{i} creatum sua morte repararet.

3° Seculo tertio.

Monarchiani, qui, prout erant *dynamistae* vel *modalistae*, admittebant X^{m} esse hominem sanctissimum in quo miracula operata esset divina virtus a Deo Patre realiter vel modaliter tantum distincta, plus minusve proprium *adoptianismum* professi sunt. In fine seculi Paulus Samosatensis accommodavit *adoptianismo* doctrinam Verbi impersonalis : Christus est essentialiter homo in quo habitavit Verbum impersonale. Ex utriusque unione morali perfecta et indissolubili Salvator obtinuit « *nomen quod est super omne nomen* », ex quo Deus appellari posset.

4o Seculo quarto :

Ariani qui, magistro, ut videtur, Luciano Antiocheno, Christum habent nec proprie Deum nec merum hominem, sed ens compositum constans corpore humano et Verbo personali creato quod corpori sit pro anima.

Secunda Series : *Haereses christologicae :* versantur circa conjunctionem in Christo divinitatis et humanitatis.

Apollinaristae (seculo 4°) negant X^{m} fuisse verum hominem, quippe cui desit anima vel mens humana. **Nestorius** (sec. 5°) nimis in X° separat hominem a Deo ita ut duas ingerere videatur personas. **Monophysitae** seu **Eutychiani** (sec. 5°) non sat in Christo distinguunt divinam et humanam naturam. **Monothelitae** tandem (sec. 6°-7°) negant in X°, ut cum divina incompossibilem, humanam voluntatem.

Seculo 5° et sqq saeviit, in Hispania praesertim, **Priscillianismus**, vera errorum pantheisticorem et gnosticorum congeries, ubi ex conjunctione modalismi sabelliani cum apollinarismo, oriebatur Christologia quam multi jure vocant « *Panchristismum* », juxta dictum Priscilliani in suo *libro ad Damasum :* « Unus Deus trina potestate venerabilis omnia et in omnibus Christus est ». (*Tract.* I : ed. Schepss, p. 37. Cf. Tixeront, II. p. 231-243.)

Seculo 8° **adoptianismus** in Hispania propugnatus est, ex quo Christus, ut homo, non esset nisi filius Dei adoptivus. Cf. Vacant : *Dictionn. de theol. cath.* t. I. *col.* 403 sqq, ubi pariter videas controversias inter scholasticos ortas de adoptianismo.

B) Errores recentiores. Non tam noviter excogitati sunt quam antiquos innovaverunt.

1° **Reformatores**, etsi servare volebant antiquam Christologiam, tamen, pro sua dogmatum, ut aiebant, theologicorum negligentia, mox doluerunt apud suos innovari Sabellianismum a Servето et *Anabaptistis*, Ebionita-

rum errorem a *Socinianis* seu *Unitarianis*... Nec parva inter Lutheranos et Calvinistas mota est querela de modo quo facta sit in Christo conjunctio humanitatis cum divinitate. Lutherani enim, consequenter ad suam de eucharistica « *consubstantiatione* » doctrinam, admiserunt proprietates divinae naturae, *ubiquitatem* imprimis, communicatam esse, saltem inde ab exaltatione, ipsi humanitati Christi. — (Cf. ap. BELLARMINUM : *de Christo*, l. III, cp. I.)

2° Seculo XVIII et initio sec. XIX, sub influxu rationalismi et pietismi germanici necnon philosophiae a KANTIO innovatae, via paratur *radicalismo theologico* qui, inde a medio seculo decimo nono, extra Ecclesiam catholicam saevit magis ac magis.

a) Lutherani quidem theologi diu coluerunt doctrinam Incarnationis quae dicta est κενώσεως (ex *Philipp.* II. 7.) : Verbum in carne exinanitum revera esset, seu spoliatum divina sua majestate ut fieret substratum hmuanitatis et divinam sui conscientiam atque gloriam iterum in carne mereretur. (Cf. PRAT : *Théol. de S. Paul.* t. II. p. 239-241.)

b) At distinctio, quae inde a SCHLEIERMACHER (1768-1834), praesertim in Germania fieri solita est, personae Christi historicae et doctrinae seu potius sensus religiosi quem excitare novit, doctrinam omnem de Incarnatione proprie dicta fecit inutilem. Christologia non est nisi historia evolutionis qua fides christianorum deducta est ad Incarnationem excogitandam. *Cristus* autem, ut aiunt, *empiricus*, quem solem historia curat et primitiva Ecclesia novit, merus est homo quem sua moralis excellentia fecit humanae naturae prototypon et eorum omnium qui sectantur religionem aut justitiam ducem et exemplum inimitable. — Sic fere omnes recentiores dogmatum historici et modernistae : (Cf. *decret.* « *Lamentabili* » prop. 27-35). — Non dissentiunt fere nisi de modo restituendi genuinam, ut aiunt, Christi historici formam et doctrinam essentialem. Ii tamen, qui pantheismum idealisticum magis aperte profitentur, non repugnant dicere Christum esse divinum hominem, ut in quo divinitas fuerit quam maxime sui conscia. Sic olim HEGEL ejusque discipuli ; nunc modernistae.

III. **PATRUM OPERA QUAEDAM INSIGNIA DE INCARNATIONE.** S. IGNAT. *ad Magn.* 7-8 ; *ad Philad.* 6-9 ; *ad Smyrn.* 1-3 ; *ad Trall.* 6-10. S. POLYCARP. ad *Philipp.* 7 : Eccl^a Smyrn., *de martyr. Polyc.* 17, 18. — *Epist. ad Diognet.* 7-12. — *Epist.* BARNABAE, 5-8 ; 12-14. HERMAS, *Simil.* V, 6 ; IX, 12.

S. JUSTIN. *Apol.* I, 30 (M. 6, 673) ; *Dial. cum Tryph.* 48-140 (M. 6, 580). — S. IREN. *adv. haer.* ll. 3, 4, 5, (Vide doctrinae Summam, M. 7, 313). — ORIG. *c. Cels.* I, 26 (M. 11, 710) II, 79 ; III ; IV, 22.... — TERTULL. : *de carne Christi* (M. 2, 751) ; *adv. Marcion* (M. 2. 239) ; *adv. Judaeos* (M. 2, 599). — S. CYPRIANI *Testim.* l. II. (M. 4, 695).

S. ATHAN. : *De Incarnat. Verbi* (M. 25, 95) : cur Verbum incarnatum (1-32) ; redarguit Judaeos, praes. ex 70 Danielis hebd. (33-40) ; redarguit ethn. dicentes Inc^nem esse impossib. et absurd. (41-45) ; ex effectibus quorum Chr. est

causa, demonstrat divinitatem Religionis. — *Or 3ª c. Arian.* (M. 26, 378) : duplex natura, una persona, communic. idiom. — *Liber de Inc. Verbi et c. Arian.* (M. 26, 984) ; e Script. probat divinit. Verbi, Incarnat., Passion., Resurr., etc. — *Epist. ad. Epictet.* (M. 26, 1047) : refellit plures haereses, mysterio Incnis oppositas. — *Epist. ad Adelph.* (M. 26, 1071) : corpus Christi adorandum... — *Sermo maj. de fide* (M. 26, 1262). — *Exposit fidei* (M. 25, 198). — *De Incarn. D. N. J. C. contra Apollinar.* (M. 26, 1093) : Opus dubium, sed eximium, fortasse a Didymo compositum : proponit et refelllit errores Apoll., et simul probat dualit. natur. et unitat. personae ; Christumque esse adorandum...

S. Cyrill. hier. *Catech.* X-XV. — S. Hilar. *de Trin.* l. IX-X.

S. Basil. *epist.* 261, 262 (M. 32. 968) — S. Greg. Naz. *Orat. theol.* 3ª et 4ª (M. 36, 75) ; *or.* 38. inChristi Nativ. (M. 36, 312). *Epist.* dogmat. *ad Cledon.* 101, 102 (M. 37, 175) ; *ad Nectar.* 202 (M. 37, 330). — S. Greg. Nyss. *orat. cathech. magna* 10-32 (M. 45, 42) ; *Antirrhet. adv. Apollinar.* (M. 45, 1123)... — S. Epiph. *Ancoratus,* 75-82 (M. 43, 131) ; *Panarium* in fine tomi 1 libri 1 (M. 41, 274).

S. Cyrill. Alex. *De Inc. unig.* (M. 75, 1190) ; *quod unus sit Christus* (1274) ; *Scholia de Inc. Unig.* (1370) ; *De Incarn. Domini* (1419) ; *Adv. Nestorii blasph.* contradictionum libri V (M. 76, 10) ; *Dialog. cum Nestor.*, quod S. Virgo sit Deipara (76, 250) ; *Liber adv. nolentes confiteri S. Virg. esse Deiparam* (75, 255) ; *Explicatio 12 capitum (Anathematism.)* (76, 294) ; *Apolog. pro 12 capitibus* (76, 315, 391) ; *Ad imperat. Theodos.* (454) ; *De recta fide in D. N. J. C.* (76, 1134, 1202, 1335) ; *Epistolae :* 1ª *ad mon. AEgypti* (77, 9) ; *ad Nestorium,* vel de Nestorianismo (77, 39, ss), *Cyrilli ad Caelestin.* I. et vicissim (77, 79, 90) ; *ad Nestor.* ep. 17ª (77, 106), etc. ; *Homiliae : de Inc. Dñi* (77, 1090) ; *In laudem B. M. V.* (77, 991) ; *Encomium Deiparae* (77, 1030).

S. Ambros. *Lib. de Inc. dominicae sacramento,* n. 22-76 (M. 16, 824). — S. Hieron. *adv. Helvid.* (M. 23, 183) ; et *adv. Joviniam,* de perpetua virg. B. M. — S. August. *Ex quaest.* 83. quaest. 11, 14, 25, 42, 43, 69, 80 ; *Epist.* 137 (M. 33, 515) ; *Sermones* 44, 45, 91, 92, 117, 119, 121, 124-127, 130, 171, 174, 175, 183, 342 ; et plures serm. de tempore ; *Expositio Ev. S. Jo.* (M. 35).

S. Chrysostomus. *Quod Chr. sit Deus* (M. 48, 813) ; *L. in S. Babylam, C. Julian. et Gentil.* (M. 50, 533) ; *homiliae in festi Dñi.* — S. Proclus, *Orat. I et V, in laudem B. Virg.* (65, 679, 715) ; *Tomus, seu epist. ad Armenos* (65, 855). — Theodoret. *Eranistes,* c. Eutych. (M 83, 27) ; *opusc. qd post Inc. Filius sit D. N. J. C.* (M. 83, 318).

M. Leo M. *Sermones de festis Dñi* 21-74 (M. 54, 190). *Sermo dogmat. c. haeresim Eutych.* (54, 466). *Epist,* 28ª *ad Flavian.* : definitio doctrinae (755). *Epist.* 59, 124, 129, 139, 165. — S. Petr. Chrysol. *Serm.,* 141 147, 148, (M. 52, 577). *Epist. ad Eutych.* (54, 739). — S. Maxim. Taurin. *homil.* 515 (M. 37, 235). — S. Nicetas, *tract de div. appellat.* D. N. J. C. convenientibus (M. 52, 863). — Cassianus, *de Inc. Christi, libri* VII. (M. 50, 9). — S. Fulgent. Rusp. *Liber de fide ad Petr.* (M. 65, 671), a n. 1 ad 24 ; *Lib. de Trin.* c. 5 et 6 ;

Libri III ad Trasim.(65,223); *L. ad Scarilam de Inc.; Epist.*17ª *ad Petr.diacon.; Epist. ad Reginum.*,.. — VIGILIUS TAPS. *Libri* V c. Eutych. (M. 62, 95). — BOETHIUS, *Liber de una persona et duabus nat.* (M. 64, 1337, 1353).

LEONTIUS BYZANT. *Libri III adv. Nestor et Eutych.* (M. 86, 1268). *Libri VII c. Nestorianos : Liber c. Monophys ; Lib. c. fraudes Apol.*.. etc. — S. Jo. DAMASC *de F. O. l.* III. (94, 982).

S. ANSELM. *Cur Deus homo ; — de Conceptu Virginali* (M. 158).

IV. **NOMINA PRAECIPUA** quibus apud PP. designatur hoc mysterium videas sedulo apud PETAV. l. II, cp. I ; WIRCEB. 1-3 ; PESCH. 3. Notanda sunt inter alia, apud Graecos,οἰκονομία, λῆψις, πρόσληψις, ἀνάληψις σάρκωσις, ἐνανθρώπησις, ἐνσωματωσις, μίξις. Alia enim sunt ad alias haereses amovendas apta vel inepta.

Nomen σάρκωσις — incarnatio —, etsi, tempore Apollinarismi minus aptum, tamen praevaluit in symbolis ut magis scripturisticum et ex usu sufficienter designans totam naturam humanam.

V. **TRACTATUS MOMENTUM** : Ex dignitate objecti, in quo sunt omnia mysteria comprehensa, divina humanis conjuncta.. ; ex utilitate et necessitate cognitionis : « haec est vita aeterna... » « Ergo sum via... »... ; ex actualitate : omnia pene in mundo versantur circa quaestionem Christi ad christianios : « Quem me esse dicitis ? »

VI. **DIVISIO**. De Christo (I) Redemptore (II) ; seu de Incarnatione et de Redemptione.

PARS PRIOR.

DE MYSTERIO INCARNATIONIS

SEU

DE IPSO CHRISTO.

Incarnatio definitur : naturae humanae cum divina in una Persona Verbi conjunctio.

Incarnatio considerari potest in ordine intentionis (sectio I) — in ordine executionis (sect.II) — et in ordine existentiae, in quo considerari possunt tum Incarnationis essentia (sect. III) — tum ejus consectaria sive pro composito theandrico (sect. IV) — sive pro natura assumpta, cujus sunt considerandae proprietates (sect. V).

Sectio I.

DE INTENTIONE INCARNATIONIS.

Circa Incarnationem in ordine intentionis consideranda est ejus necessitas, possibilitas, finalitas.

Articulus I.

DE NECESSITATE INCARNATIONIS.

THESIS I. Restauratio per Christum hominis lapsi adeo est divinae bonitatis donum gratuitum ut Incarnatio dici nequeat fuisse necessaria aut ullius creaturae meriti fructus.

1° Pars : **Praenotanda** : 1° Agitur de restauratione hominis in ordine ad finem supernaturalem ; non obstante enim peccato originali, homini legem naturalem servanti finis naturalis debitus fuisset.

2° Haec pars praemittitur ut constet, pro toto genere humano sicut pro singulis hominibus, initium salutis esse totum in libera Dei volontate et ita constet quantopere ii pervertant doctrinam catholicam de reconciliatione hominis ad Deum qui fingunt amorem, quo nos Deus amat, haberi apud nos ut fructum non ut causam Redemptionis nostrae. (Cf. Rivière : *Le dogme de la Rédemption*, p. 11-14).

3° **De fide** est haec assertio, tum ex formali revelatione in Scriptura, tum ex aequivalenti definitione inclusa in symbolo *(Propter nos homines et*

propter nostram salutem ») et in decretis sive de « *spontanea Verbi passione* ». (D. B. 255) sive de justificatione hominis (793-794).

Probatur : 1° *Ex Scriptura* exhibente salutem generis humani per Christum ut opus singularis misericordiae et caritatis Dei : *Eph.* I. 1-11 ; II. 4-8 ; *Col.* I 19-20 ; *Rom.* III. 24 ; V. 8 ; *Tit.* III. 4-7, ubi adeo extollitur gratuitas totius operis Redemptionis ut evolvi tantum videatur dictum ipsius Christi : « *Sic Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret ; ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam* », (*Joan.* III. 16) et Cf. I. *Joan.* IV. 9. « *In hoc apparuit charitas Dei in nobis quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum* ».

2° *Ex Patribus* : Sufficiat inter alios S. Augustinus : *Sermo* 214 cp. V. 6 (M. 38. 1184) ; *de Natura et gratia*, 5 (M. 44. 250) et cf. S. Irenaei *Demonstrationem apostolicae praedicationis* n. 37-38. « Verbum Dei caro factum est ad solvendam mortem et vivificandos homines ; nam captivi eramus peccati et ex iis qui ex peccato nati cum morte vivunt. At Deus Pater misericordiae plenus misit Verbum creativum quod venit ad salvandum nos ».

3° Ex S. Thoma (III. q. 47. a. 3) docente Deum Patrem tradidisse Christum passioni secundum tria : a) quatenus aeterna sua voluntate praeordinavit passionem Christi ad hominum liberationem ; b) quatenus ei inspiravit voluntatem patiendi pro nobis ; c) quatenus non protexit eum a passione sed eum exposuit persecutoribus.

II. PARS : Incarnatio non dici potest fuisse necessaria.

Praenotanda : 1° Haec pars, etsi sequitur ex praecedente, tamen non potest dici theologice certa quia non constat in quo praecise fuerit beneficium gratuitum : in ipsa restauratione ? in hoc quod facta sit per Verbum incarnatum ? cum satisfactione a Verbo exhibita ? cum satisfactione per crucem ? — Attamen est omnino **certa**, ut constabit per partes.

2° Distinctiones recole necessitatis a) absolutae et hypotheticae, b) antecedentis et consequentis, c) ad esse (= sine qua non) et ad melius esse (= qua melius), d) ex parte Dei et ex parte hominis.

Probatur per partes : 1° *Non fuit absolute necessaria*, quia in Deo, quoad operationes ad extra, ne moralis quidem adesse potest necessitas.

2° *Non fuit necessaria in hypothesi creationis vel elevationis hominis ad ordinem supernaturalem.* — A) Lullius, Malebranchius, Leibnitz et alii *optimistae* putant, in hypothesi creationis, Incarnationem fuisse necessariam, ut scilicet mundus esset optimus. — B) Hanc doctrinam optimistarum quidam theologi ita temperaverunt ut dicerent Deum necessitari ad optimum, non metaphysice aut physice, sed moraliter tantum, id est, sapientia et bonitate : ita Ruiz, Maurus, Viva. Sed haec utraque opinio perimit libertatem Dei. — C) Elevatio hominis ad statum supernaturalem non exigebat Incarnationem, quia dona gratiae necessaria ad merendam et consequendam beatitudinem supernaturalem tribui possunt a Deo independenter ab Incarnatione.

3° *Non fuit necessaria in hypothesi lapsus generis humani.* Haec assertio quo includit ; A) restaurationem generis humani non fuisse necessariam ; B) in hypothesi decretae restaurationis, Incarnationem non fuisse ad illam procurandam medium unicum.

A) Restaurationem generis humani fuisse necessariam admisit Günther, quatenus docuit Deum non potuisse permittere lapsum Adami nisi intuitu reparationis ejusdem per Christum : oeconomia transfusionis peccati originalis supponit et exigit oeconomiam reparationis (cf. Kleutgen : *Theol. der Vorzeit.* t. III. n. 293).

At, — concesso, ex solidaritate statuta inter Adamum et ejus posteros, apparere convenientiam restaurationis — tenendum tamen est hanc sententiam esse **falsam** (*cf.* Pesch. n. 354 ; Stentrup. *Soteriologia*, thes. III.)

a) Ex Scriptura extollente gratuitatem restaurationis : cf. partem praecedentem ; adde *Sap.* XII. 11 sqq : quod enim ibi dicitur de singulis populis aut individuis verum etiam est de toto genere humano.

b) Ex doctrina S. Augustini, cujus doctrina de gratuitate gratiae nititur in hoc supposito gratuitae reparationis in genere : *cf. De nat et gratia* loc. cit. ; et *Enchiridion* XCIX (M. 40, 278).

c) Ex falso supposito quod oeconomia transfusionis peccati originalis sit de se injusta, proindeque injustitia adsit quoties aliquis homo manet, absque sua personali culpa, expers fructus Redemptionis.

d) Ex facto quod Deus angelos non restauravit (*Hebr.* II.16) — Haec enim comparatio valet quoad Adamum.

e) Ex ratione : quia frustratio finis creaturae gratuito propositi non est de se frustratio finis creatoris qui potuit v. gr. intendere manifestationem fragilitatis creaturae ejusque quoad Deum inutilitatis. — Ad removendos scrupulos qui mentes hac de quaestione agitare solent, n. b. in finitis etiam optimis hypothesibus adesse semper respectum sub quo melius esset eas non verificari, sicut et in pessimis adest etiam respectus bonus sub quo bonum est eas verificari — Praeterea theologi, quin scrutentur « profunda Dei », non unam finxerunt hypothesim de statu qui fuisset generis humani, si non fuisset restauratum ad finem supernaturalem : cf. v. g. Suarez in *de Gratia, Prolegom.* IV cp. IX, n. 12 et *de Incarnat. disp.* IV. *Sect.* I. 1.

Opponi solet auctoritas S. Athanasii et S. Anselmi — Quoad S. Athanasium, in *de Incarnatione Verbi*, 6 (M. 25. 108) urget sane necessitatem aliquam restaurationis generis humani. At, cum, in *Orat. II Cont. Arianos*, 68 (M. 26.292), explicite distinguat ipse inter id quod Deus posset facere et id quod facit ad utilitatem hominum, constat eum non fugisse distinctionem quae sit inter necessitatem proprie dictam et summam convenientiam, vel, ut alii dicunt, inter *necessitatem decreti* seu consequentem et antecedentem. — De mente S. Anselmi, cf. Stentrup in *Soteriologia* : *thes* 11 p. 33 sqq, et *Zeitschrift f. kathol. Theol.* 1892, 653 sqq.

B) Restaurationis procurandae Incarnationem fuisse medium unicum admiserunt post *S. Anselmum* aliqui theologi (cf. Stentrup : *Soteriol.* thes. IV).

Sed, distinctione facta inter restaurationem simpliciter — cum satisfactione — cum satisfactione de condigno — praestanda ab aliquo qui esset

— vel non — de stirpe Adami —, tenenda est sententia communis Patrum et theologorum Incarnationem non fuisse necessariam nisi consequenter ad decretum de restauratione cum satisfactione de condigno praestanda ab aliquo qui esset de stirpe Adami. Cf. apud auctores v. g. W. n. 448 ; PESCH. n. 358 ; STENTRUP *Soteriologia*, thes. IV.

— Agetur in posteriore tractatus parte de necessitate Incarnationis in hac ultima hypothesi.

III. PARS : Incarnationem non meruit ulla creatura.

Probatur, — praemissis definitionibus meriti — de condigno — de congruo, et distinctione facta inter Incarnationis substantiam ejusque circumstantias — quod eam non meruit neque humanitas Christi — neque ipse Christus, neque antiqui Patres V. T. aut B. M. V.

I. Humanitas Christi (W. 355 ; P. 408). — a) Non praeexstitit unioni, neque concipi potest habuisse actiones unione priores secundum rationem. —b)Hoc mysterium soli divinae liberalitati tribuitur. *Jo.*3,16; *Lc.*1,78 ; *Tit.* 3, 4.— c) Imo, licet praeexstitisset humanitas, non potuisset mereri tantam gratiam, nec de congruo, nec de condigno, propter summam improportionem : sicut actus naturales nullo modo mereri possunt praemium sup^le.....

II. Christus ipse (W. 356 ; PLATEL, n. 103, ss. ; 123, ss) non potuit mereri Incarnationem. — a) Neque per actus tempore aut natura priores unioni, - b) Neque per actus unionem subsequentes ; q. principium meriti non cadit sub merito : quod constat 1° implicita auctoritate. Patrum, quando probant primam gratam esse necessario gratuitam, 2° ratione, quia nihil potest esse seipso prius et posterius sub eodem respectu, seu sui causa. Nota autem, actum meritorium non causare, nisi jam existens, sive in se, sive in praevisione absoluta praemiantis ; secus est de causa finali..

SUAREZ tamen putat Christum potuisse, de pot. absol., mereri Incarn^em per merita subsequentia.

III. Patres V. T. et ipsa B. V. non meruerent subst. Inc^nis, neque de condigno, neque de congruo rigoroso (W. 357 ; P. 409) - - Humanitas Christi non potuisset eam mereri : a fortiori.... — b) Improportio..., — c) Debuissent mereri per gratias ab ipsa Incarnatione acceptas ; atqui ita, eorum actus essent simul sub eodem respectu Inc^nis causa et effectus...

Ejus tamen circ. aliquas potuerent mereri de congruo. Suadetur ex *Gen.* 22. 18, de Abraham ; 2 *Reg.* 7, et *Ps.* 131, 11, de David. Nec ulla in hoc apparet repugnantia, quod, decreta absolute et gratuito Incarnatione, locus v. g. tempus, stirps, etc., ex praevisis meritis aliquorum decernantur. *Cf.* 3. q. 2 a. 11.

De merito vero B. V. M. in ordine ad Maternitatem divinam, dicemus alibi ; quod de congruo tantum fuit, cf. P. 410.

Articulus II.

DE POSSIBILATE INCARNATIONIS.

THESIS II. — Supposita Incarnationis fide, humana ratione mysterii hujus non tantum possibilitas negative demonstratur sed etiam convenientia suadetur.

Praenotanda : Possibilitas Incarnationis considerari potest tum absolute, tum relative, nempe, quaestio poni potest : a) Num Incarnatio repugnet divinis attributis aut consubstantialitati Personarum divinarum ; b) num in ordine ad « reformationem » generis humani convenientiam habeat. Hinc duae partes in thesi.

I. PARS : Supposita Incarnationis fide, ratio demonstrat hoc mysterium non repugnare.

— *Proximum fidei..* Lateran. V. (D. B. 738) Vatic. (1797).

1° **Demonstrat hoc myst. non repugnare.**

Prob. 1° a priori : ex concordia fidei et rationis ; b) ex incomprehensibilitate et infinitate divinae hypostaseos. Cf. Patres apud Petav. l. 3, c. 1 ; Suar. *d.* 8, *s.* 4. — 2° a posteriori, enervando praecipua argumenta. Repugnantia certo appareret, vel ex parte Verbi assumentis, vel ex parte naturae assumptae, vel ex parte compositi aut unionis.

a) *Ex parte Verbi* obstaret immutabilitas, majestas, incommunicabilitas, consubstantialitas cum ceteris Personis divinis : atqui 1) non obstat *immutabilitas* : tota mutatio est in humanitate ; non amplius probatur Verbum Incarnatione mutari quam voluntatem aut potentiam divinam creando mundum. . Acquirit solum novam relationem ex quasi mutatione creaturae, per extensionem actus praeexistentis et infiniti ad novum terminum, hic, functionis hypostaticae ad terminandam naturam humanam. Cf. 3. q. 16, a. 6; Fr. 291; P. 58, 59. — 2) Non obstat *majestas* (W. n. 147) : Verbum Incarnatione non depressum est, sicut non deprimitur dives pauperi subveniendo aut sol illuminando, ut aiunt Patres : nihil amisit nec physice nec moraliter. Dicitur exinanitum, denominative, quia assumens sibi humanitatem, hujus proprietates et praedicata accipit. — 3) Non obstat *incommunicabilitas* : non communicatur natura, sed persona, cujus functio hypostatica est infinita. — 4) Non obstat *consubstantialitas*, unde non possit incarnari una Persona sine aliis : nam, quamvis efficientia sit communis, utpote immediate pendens ab Essentia, terminatio tamen naturae assumptae, quia est functio hypostatica, potest esse a sola persona Verbi, quae realiter est distincta a ceteris, virtualiter ab essentia.

b) *Ex parte naturae assumptae* obstaret quod non posset subsistere subsistentia 1) *aliena*, 2) *divina*. Sed non demonstratur 1) eam non posse existere ut partem alterius, scilicet 2) a Verbo dependere, non ut partem naturae divinae, sed ut naturam ab hypostasi divina assumptam.

c) *Ex parte unionis* obstaret improportio extremorum. Sed non probatur abesse proportionem habitudinis.

2° **Hoc non demonstrat nisi praesupposita Incarnationis fide** ; secus enim ratio posset Incarnationis possibilitatem demonstrare *positive*.

Jamvero *theologice certum* est hoc non posse fieri : a) ex documentis ecclesiasticis : CONC. TOLET. XI (D. B. 282) ; PIUS IX contra Günther et Frohschammer (1666 et 1682.) — b) Ex Scriptura : Christus enim = Filius Dei « factus ex semine David secundum carnem » (*Rom.* I, 3) « factus ex muliere, factus sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret » (*Gal.* IV. 4), centrum est illius « sacramenti absconditi a seculis in Deo » (*Eph.* III, 9, Col. I. 26) seu illius « sapientiae in mysterio quae abscondita est. » (I. Cor. I. 20 ; II. 10)... c) Ex Patribus : vide appud PETAV. III. 1 ; SUAREZ *disp.* III. s. 1. ; PESCH. 48. d) Ex ratione, tum quia secus non esset mysterium proprie dictum, tum quia Incarnatio in seipsa non habet ullam connexionem certam cum facto naturaliter cognito.

II. PARS : Mysterii hujus convenientia ipsa ratione suadetur. (III. q. 1. a. 1.)

1° Argumentis positivis, considerando Incarnationem A) Absolute secundum propriam excellentiam ; B) relative ad finem intentum.

A) Absolute. - - a) Convenit Deo : — 1) Summae Bonitati sui diffusivae : Incarnatio est maxima communicatio (superans naturam, gratiam, gloriam) tum intensive, tum extensive. 2) Attributorum manifestationi (W. n. 147 ; HURTER. *th.* 141) : amoris, misericordiae, justitiae, omnipotentiae, tandem sapientiae, quae relucet tum in substantia mysterii, tum in variis ejus circumstantiis intrinsecis. 3) Praesertim Personae assumenti (q. 3 a. 8) et naturae assumptae (q 4. a. 6 ; *C. G.* IV, 55). b) Convenit hominibus : natura humana nobilitatur, ditatur, plenius beatur ; totus mundus perficitur, conjungitur Deo magis immediate, et perfectius ad eum reducitur.

B) Respective ad finem intentum, reparationem generis humani : sive consideratur totum opus reparationis (q. 1. a. 2), sive specialiter satisfactio pro peccato, (ibid. et SUAREZ, *disp.* IV. s. I. 2) sive hominis perductio ad beatitudinem (*C. G.* IV, 54).

2) Argumentis negativis : *C. G.* IV. 53. 55.

ARTICULUS III.

DE CAUSA FINALI INCARNATIONIS.

THESIS III. — 1) **Finis propter quem Deus Incarnationem decrevit est certo Redemptio generis humani, sed** 2) **etiam simul probabilius ipsa Incarnationis Redemptricis excellentia, seu gloria Christi Redemptoris.**

Praenot. 1. Non quaeritur finis ultimus Inc^nis, qui est gloria Dei (*Prov.* XVI, 4 ; *Luc.* II, 14 ; *Jo.* XVII, 4 ; *Eph.* I, 6. 12. 14). Quaeritur vero finis specialis et proxime obtinendus : et quidem, non fines consequentes, sed finis principaliter intentus tqm ratio sina qua Inc^tio non esset decreta. — Agitur autem de decreto praesente, non de alio possibili ; scilicet, non quaeritur num, Adamo non peccante, Deus potuisset decernere Incarna-

tionem, sed num revera Deus eam *decreverit* antecedenter ad decretum quo permissum Adae peccatum decrevit reparare.

2. Triplex sententia : **1ª Sent.** : Finis ille est reparatio hominis lapsi : Deus decrevit Incarnationem ratione Redemptionis : ita communissime Patres et Theologi. V. S. Th. 3. q. 1. a. 3. — **2ª Sent.** Finis ille est excellentia ipsius mysterii, gloria Christi, perfectio universi... Quare, etiam Adamo non peccante, venisset Christus, sed tunc in carne gloriosa et impassibili, (vel ex aliquibus, in natura angelica). Ita Scot. *in* 3 *d.* 7. q. 3 ; S. Fr. de Sales, *Am. de D.* III, 4 et 5, et alii multi. — **3ª Sent.** Conciliat praecedentes : Finis ille est simul Redemptio generis humani et excellentia Incarnationis redemptricis : Deus videlicet, videndo inter possibilia hunc ordinem in quo sumus, illum uno actu decrevit, praecipue quia in illo tanquam omnium caput et finis includitur Christus Redemptor. Sic ergo non decrevit mundum sine Christo totius mundi fine, neque Christum decrevit nisi ut Redemptorem. Ita quoad rem ipsam Molina : *in.* I. *q.* 23, *a.* 5, *d.* 1, *m.* 7, *Concord.* p. 483 ; — Salmantic. t. 13, p. 291, et alii ab ipsis citati ; — Valentia d. 1. q. *punct.* 7 ; q. 19 ; *punct.* 4 circa fin. ; — Tanner, p. 62, 65 ; — Maurus, p. 43, n. 35 ; — Cornel. a Lapide : *Rom.* I, 14 et *Eph.* I, 22 ; — Gonet, d. 5, a. 1, § 6. et alii. — Ita fere ipse Suarez, *d.* 5, *s.* 2, *n.* 13 ; *s.* 4, *n.* 17, 19 ; *s.* 5. *n.* 7, 8, 15, qui tamen modo forte nimis implexo rem exponit. (*Cf. Nouvelle Rev. théol.* janv. et fevr. 1911).

I. Finis propter quem Deus Inc^nem decrevit est Redemptio :

De Fide est Christum venisse de facto ut nos redimeret. Omnes ergo catholici fatentur eum in aliquo signo decretum esse ut Redemptorem. Sed probare oportet eum, in ipso priori signo, esse decretum ut talem, ita ut Deus non prius voluerit eum existere et posterius voluerit existere ut Redemptorem, et hoc asserimus ut *admodum probabile, ne dicam certum.*

1. Script. et documenta eccl^ea nullam aliam rationem assignant Inc^nis, nisi Redemptionem humani generis. (W. 358 ; P. 402), Ergo gratis, ut minimum, assignatur alia ratio Inc^ni anterior. — Conf. : ipsa Christi glorificatio ostenditur esse fructus Redemptionis (*Lc.* XXIV, 26 ; *Phil.* II. 8). — Ideoque D. N. vocatus est, nomine proprio, Jesus. — Cf. Prat. *Théol. de S. Paul,* t. II. p. 254-255).

2. Patres non tantum positive assignant Redemptionem ut rationem Incarnationis, et nullam aliam innuunt a Redemptione independentem, sed etiam exclusive aiunt eam esse causam unicam Incarnationis decernendae. V. multos citatos apud Petav. II, 17, n. 8 ; W. 359 ; P. 404. Lege speciat. S. Athan. *Or. 2. c. Ar.* 35 (M. 26, 261) et Origenem, *in Joan. Comment.* t. I. 22 (M. 14. 57).

3. Ratio conven. — Sic magis splendide manifestatur tum caritas et misericordia Dei erga nos, tum ipsa Incarnationis excellentia, tum Dei sapientia et potentia... cf. S. Bonav. III, D. 1. a. 2. q. 2 ; Monsabré, XXV^e conf. 2^e partie ; Bourdaloue, sur la Passion : « *Judaei Signa...* »

SCHOLION. Venit ad reparandum omnia peccata, maxime originale (W. 358 ; q. 1, a. 4).

II. Sed tamen, decernendo Incarnationem ad reperationem humani generis, Deus simul intendisse videtur ipsam excellentiam mysterii et gloriam Christi Redemptoris.

1. Haec sententia optime conciliat alias. Cum prima admittit, ut Scriptura et traditione affirmatum, Christum ita venisse in ordine ad Redemptionem ut, Adam non peccante, non venturus fuisset aut potius nesciatur quid accidisset : siquidem non fuisset tunc ordo noster, de quo solo quaestio ponitur. Cum secunda affirmat Christum esse Deo in decretis suis praedilectum ; imo tenet Christi excellentiam, principatum et gloriam fuisse id nostri ordinis quod Deum quam maxime, etsi non exclusive, movit ad eum prae aliis decernendum.

2. Probatur simul a) **Scriptura,** quatenus, una cum prima sententia, tenet eam affirmare Incarnationis motivum verum esse Redemptionem ; b) **ratione** : et haec est tamen causa cur secunda pars hujus sententiae videatur minus certa. Argumentum vero sic procedit juxta Molinam. Certum est 1° Deum, antequam nostrum ordinem mundi decerneret, cognovisse eum, qualis de facto est, ut mere possibilem ; 2° imo eum in illo ordine id praecipue amasse quod magis amabile videbat. Jamvero, 1° ordo noster mundi complectitur Christum Redemptorem dominantem omnibus entibus non tantum qua Redemptor est sed etiam qua Christus simpliciter seu qua Homo-Deus ; 2° Christus, ut talis praecognitus, non poterat Deo non esse amabilis prae omnibus aliis entibus mundi hujus adhuc mere possibilis. Nunc autem id quod maxime amatur est id etiam quod maxime inclinat ad volendum. Ergo id nostri ordinis quod maxime inclinavit Deum ad eum decernendum est Christus consideratus qua Christus simul et qua Redemptor.

SECTIO II.

DE INCARNATIONE IN ORDINE EXECUTIONIS.

In hoc ordine consideranda est ejus praeparatio, retardatio, executio.

ARTICULUS I.

DE PRAEPARATIONE INCARNATIONIS.

Praeparatio Incarnationis complectitur tum electionem populi ex quo esset Christus, tum ipsius Christi praenuntiationem.

Praenuntiatio Christi facta est Christum praedicendo et praefigurando.

Praefiguratio Christi non potuit esse nisi de ejus munere sive Redemptoris sive instauratoris novae oeconomiae religiosae ; praefigurari non potuit ejus divinitas nec proinde Verbi incarnatio. — De praefi-

guratione et argumento quod exinde desumi potest in theologia vel in concionibus, cf. CORNELY : *Comp.* p. 131-134, et Introductiones generales ad S. Script., de *sensu typico.*

Praedictiones de Christo spectant ejus missionem vel personalitatem

1° **Circa missionem,** iam alibi dictum est praedictum esse finem ejus, instaurationem scilicet novae oeconomiae religiosae et constitutionem novi populi Dei qui gentes omnes complecteretur. Alibi etiam dictum est praedictum esse modum quo adimplenda esset haec missio, praedicatione scilicet novae religionis. — In secunda hujus tractatus parte dicetur eamdem missionem praedictam esse etiam ut includentem satisfactionem Deo pro peccatis.

2° **Circa personalitatem** ejus, praedictum est eum fore : a) virum singularem, non collectivum populum ; b) Davidicum seu de stirpe David ; c) Deum. Duo prima puncta, ceterum magis obvia, jam tractata sunt alibi, in tractatu scilicet de Legato divino. Tertium restat considerandum in sequente thesi.

THESIS IV. — Christum, praelucente saltem revelatione christiana, constat insinuatum esse hominem fore simul et Deum.

Praenotanda : 1° Supponitur — quod alibi demonstratur — Christum esse legatum divinum, qui apud populum judaïcum, ex promissionibus antiquis, expectabatur.

2° Is autem legatus nimis patet fuisse praenuntiatus et expectatus ut homo. An autem praenuntiatus fuerit etiam ut Deus, quaestio est in hac thesi agitanda. Responsum eruitur ex prophetarum dictis. Horum vero sensus quis fuerit litteralis constare potest vel ex solo textu, vel ex textu revelationis christianae lumine illustrato. Utrum ex solo textu constet Messiam praenuntiatum esse ut Deum exegetae disputant. Et revera, etsi non desunt in Scriptura loca ubi Messias dicitur fore « Deus », tamen, cum aliquando saltem haec vox in Vet. T° intelligenda sit sensu lato (Cf. *Joan.* X. 34-35) et Judaei non videantur admisisse unquam Messiam fore proprie Deum (Cf. *Matth.* XVI, 16-17 ; XXII, 42-46), difficile eruitur argumentum de ejus divinitate ex solo Vet. T°. Sin autem attenditur revelatio christiana qua V. T. illustratur, — GREG. NAZ. *Or. theol.* I. 26 (M. 36, 161, 164) ; CHRYSOST. *de Incomprehensibili,* V. 3, (M. 48-740) — textuum sensus fit apertus et facile dignoscitur fuisse praenuntiata Messiae divinitas.

3° De prophetiarum enim sensu litterali distinctio facienda est inter ea quae prophetae dicunt vel scribunt ut auctores mere inspirati et ea quae proferunt ut sibi a Deo immediate revelata. Prior dictorum series eum tantum sensum litteralem habere censenda est quem auditores aut ad summum ipsi prophetae, dato circumstantiarum et verborum contextu, percipere valebant. Altera vero eum praeterea sensum habere potuit quem Deus revelans ipse intendebat, quin auditores, imo et ipsi prophetae, eum plene tunc perciperent (cf. CORNELY : *Comp. Introd.* p. 129-130). Sic attemperanda videntur ea quae habet TOUZARD *(l'Argument prophétique,* in *Rev.*

prat. d'Apolog. 15 8^bre 1908, p. 90-91) ita ut concilientur quoad hoc cum eis quae de eadem re scribebat de BROGLIE in : *Les prophéties messianiques,* t. I. p. 16-18.

4. Nec gratis asserta, quia inutilis, videatur ista Incarnationis praenuntiatio, quam prophetarum auditores et interpretes non intellexerint. Quod enim, etiam apud Judaeos « non perceperunt principes hujus seculi », doctrina est aliquorum Patrum, v. g. EPITHANII *(Haeres.* VIII : 5. M. 41, 212) ; GREG. MAGN.*(in Ezechiel,* II, 4, 9. M. 76, 979-980) ; CYRILL. ALEX. *(cont. Iulian.* I (M. 76, 532-540) etc., id innotuisse patriarchis et prophetis. — N. B. praeterea quod etiam illa subobscura praenuntiatio, postquam prophetiam adimpletio illustravit, facile solidumque argumentum ad Judaeos vel Gentiles convincendos praebuit.

6. De nota theseos cf. FRANZELIN : *De Deo trino,* initio thesis 6^ae. Nostra assertio defenditur ut *certa.*

Probatur :

1° *Ex Isaia* VII. 14 ; VIII. 8 ; IX. 5-6. Messias seu puer, quem expectatur Virgo paritura (VII. 14 et *cf. Mich.* V. 3), cujus est terra Judae (VIII. 8), qui, liberata terra, restituet in aeternum solium David (IX. 6), vocabitur Emanuel (VII. 14 ; VIII. 8) et « Deus fortis » (IX. 5) — Jamvero his nominibus insinuari saltem divinitatem proprie dictam constat, non forte ex sola voce « Emmanuel » sed tum ex interpretatione illius appellationis cum « Deus fortis », tum ex interpretatione data a S. Matthaeo (I. 22-23). — Cf. CORLUY : *Spicilegium* t. I, p. 394-441 ; CONDAMIN ; *Le livre d'Isaie,* p. 58-62 sqq.

Confirmatur ex eo quod *Is.* XXXV. 4, ubi agitur etiam de Messia venturo, dicitur ipse Deus venturus. — Quaeres num ex eo quod expectatur Virgo paritura Messiam sequatur expectatam fuisse etiam Incarnationem. — Respondetur negative cum CORLUY. *loc. cit.* p. 419 et FRANZELIN in *Corollario* post *thes.* VII in tract. *de Verbo Incarnato.* Conceptio enim virginea non arguit scipsa naturam et personalitatem divinam filii. Sin autem supponitur puer praenuntiatus in vaticinio Isaïae vel in legatione angelica fuisse declaratus verus Deus, tunc ex conceptione virginea utique licuit concludere ad divinam prolis naturam.

2° *Ex Mich.* V. 1. « Egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis » (cf. notulam in bibl. CRAMPON). Hinc concludere licet saltem ad originem mysteriosam Messiae. Praeparatio saltem est ad magis explicitam revelationem originis Verbi a Patre.

3° *Ex Jeremia* XXIII. 5-6 ; XXXIII. 15-16. Germen ex Davide oriundum — Semah : quo nomine designatur Messias etiam apud *Is.* IV. 2 (cf. « radix jesse » in XI. 1) ; *Zach.* III. 8 et VI. 2 — dicitur vocandum, proindeque esse, « **Jahveh justus noster** ». Quod, cum dicat ipse Jahveh, eo ipso insinuasse saltem censendus est divinae personae a se distinctae Incarnationem.

4° *Ex Malach.* III 1. « **Angelus Testamenti** », qui expectatur, identificatur cum **Domino**, cujus est templum, et tamen distinguitur tum ab « angelo » qui Domino viam paraturus est, tum ab ipso Domino qui haec loquitur. — Et cf. quomodo synoptici — *Marc.* I 2. ; *Matth.* XI. 20 ; *Luc.* VII. 27 — identificent revera Christum Deum cum illo [— Domino scilicet —] cujus « ante faciem angelus viam parare mittitur ».

5° *Ex Psalmo* II. 7 — (cf. Corluy : *Spicilegium* t. II. p. 158 sqq. — Lagrange in *Rev. bibl.* 1905 p. 40 sqq. et 1908 p. 488-489). Messias ipse inducitur referens se a Deo vocatum esse filium ideoque a Deo constitutum esse regem omnium gentium.

Haec quidem filiatio an sit naturalis non potest facile constare exegetae praescindenti a revelatione christiana Attamen ex ipso textu, et ex modo quo videtur fuisse intellecta ab auctore libri *IV Esdrae*, XIII, apparet saltem ut transcendens filiationem de David vel Salomone assertam. — Cum autem constare videatur ibi agi, non de David vel Salomone, sed de ipso futuro Messia, ita ut psalmus sit messianicus sensu non typico, sed litterali ; cumque ex revelatione christiana constet « Filius Dei » fuisse nomen proprium Messiae ; cum tandem *epist.* ad *Hebraeos* (I. 5) recitando hunc locum sensu litterali dicat ibi fuisse assertam divinitatem Messiae proprie dictam, jure nobis dicendum videtur filiationem naturalem fuisse a Deo spirante intentam et ab ipso auctore plus minusve perceptam.

Nec constat ullibi eumdem textum fuisse a D. Paulo in sensu generationis metaphoricae intellectum, nam in *Act.* XIII. 33 parallelismus cum *Act.* III. 22, 26 et VII. 37 probat vocem ἀναστήσας intellegendam esse de mera *suscitatione*, remissa ad v. 34 assertione resurrectionis. — In *Hebr.* V. 5, ex contextu sensus est non quod « gignendo » Pater fecerit eum sacerdotem, sed quod is qui vocavit eum « sacerdotem » — ut dicitur in alio loco — est is qui vocavit eum filium suum.

6° *Ex Psalmo* XLIV (hebr. XLV) 7-8. Si ex *Hebr.* I. 9 constaret omnino sensum litteralem fuisse eum qui ibi supponitur, explicite affirmata esset futuri Messiae divinitas. At, etsi haec est plerorumque exegetarum catholicorum interpretatio (cf. Corluy : *Spicil.* t. II. p. 174 sqq.), tamen, cum sint etiam catholici qui in psalmo messianismum mere typicum agnoscant, (*cf.* Bossuet et Calmet in h. l. ; Lagrange : *Rev. bibl.* 1904, p. 256 ; 1905, p. 54-55), res non est nisi valde probabilis.

7° *Ex Psalmo* CIX (hebr CX) : insinuat saltem divinitatem Messiae quatenus eum exhibet ut : a) jamdiu genitum — et quidem ab ipso Deo juxta textum graecum ; b) auctori psalmi superiorem ; c) a dextris ipsius Dei sedentem.

Articulus II.

DE RETARDATIONE INCARNATIONIS.

Cf. *S.* Thomam, III, q. 1, a 3, 5 et 6.

Articulus. III.

DE EFFICIENTIA INCARNATIONIS.

THESIS V. — 1) **Causa efficiens Inc^nis est tota Trinitas**; 2) **appropriative autem Spiritus Sanctus.** 3) **Nec tamen Christus dicendus est Filius totius Trinitatis aut Spiritus Sancti.** (W. n. 353).

I. *Causa eff. Inc^nis est SS. Trinitas.* — *De fide,* ex C. Lat. IV (D. B. 429) Cf. C. Tolet XI (284).

1. Scriptura hanc eff. tribuit modo Patri, modo Filio, modo Sp. S^to : *Gal.* 4, 4 ; *Phil.* 2, 7 ; *Luc.* 1, 35 ; *Mt.* 1, 20 — 2. SS.Patres, non tantum id affirmant, sed rationem indicant, ut S. Aug. *Enchir.* 38 : quia inseparabilia sunt opera Trinitatis. —3. Ergo solus quidem Filius *assumpsit* humanitatem (exercendo simul influxum effectivum et terminativum) sed non solus effecit sive hanc humanitatem, sive unionem. Cf. Tolet. *in S. Th.* III, p. 96, sqq.

II. *Haec efficientia attribuitur* specialius Spiritui S^to (3. q. 32, a. 1).

1. Factum ipsum constat ex Script. — et traditione : *Symbol. Apost.*; S. Ignat. *Ephes.* 18 ; S. Hilar, *de Trin.* X, 15 (M. 10, 354). — 2. Ratio facti affertur, inspiciendo Incarnationis a) causam, tum ex parte Dei, *amorem,* tum ex parte naturae assumptae, gratiam seu *donum* ; — b) terminum qui est *sanctissimus* ; — c) finem, sanctificationem hominum. — Haec tamen effic. attribui potest etiam Patri, ratione auctoritatis, et Filio, ratione assumptionis (ad 1^m).

III. *Nec tamen Christus est Filius Trinitatis, licet sit operatione ejus productus.* — *Cert. theol.* ut minimum. Cf. C. Tolet. XI (D. B 282).

Ad filiationem requiritur naturalis origo viventis in similitudinem naturae : Christus autem non producitur ita a. SS.Trin.aut a Sp. S.—Est autem Filius Patris, ratione aeternae generationis, et Matris, ratione generationis temporalis. Cf. 3, q. 32, a. 3, et ad 1 ; S. Aug. *Enchir.* 38-40 (M. 40, 251).

Sectio III.

DE INCARNATIONE IN ORDINE EXISTENTIAE

seu

DE EJUS ESSENTIA

Circa Incarnationis essentiam dogma probandum est et scholastice exponendum. Hinc duo capita : dogmaticum et scholasticum.

CAPUT PRIMUM : *DOGMATICUM*

Hoc dogma quatuor complectitur : 1° In Christo esse duas naturas, humanam silicet et divinam ; 2° Duarum naturarum unicam esee personam; 3° Duas tamen, etiam post unionem, manere naturas ; 4° Proindeque duas etiam voluntates et operationum classes. Quorum tria ultima, cum connexionem logicam et historicam habeant inter se intimam, de iis agetur in eodem articulo, cujus erunt tres paragraphi. Hinc tres articuli : 1° **De Christi humanitate ;** 2° **De Christi divinitate ;** 3° **De unione duarum in Christi naturarum.**

Articulus I.

DE CHRISTI HUMANA NATURA.

Negaverunt alii corporis realitatem, (**Docetae** in genere sive primitivi : *I Joan.* IV. 2-3 ; Ignat. *Trall.* 9-10, sive **gnostici ; Marcion** etiam) vel consubstantialitatem cum nostro seu originem ex nostro genere (cf. Tixeront. I. p. 146) — alii animam ; vel simpliciter, v. gr. Ariani *cf. D. th. cath. : Arianisme,* p.1787-1788 et D.TH.*C. G.*IV,32) vel quoad intellectum : **Apollinaristae**, quorum caput initio animam simpliciter negaverat, admittebant in Christo ψυχήν, negabant νοῦν : *(cf.* Voisin : *L'Apollinarisme,* vel Tixeront. II ch. IV) — alii unionem substantialem animae et corporis : praeter Apollinaristas, auctores pauci mediaevales (*cf. q.* 2. *a.* 5 et *C. G.* IV, 37) ; praeterea, qui fingunt trichotomiam in composito humano, (post alios, Günther, Balzer, etc.)

§ I. DE VERITATE HUMANITATIS CHRISTI.

THESIS VI. – Jesus Christus est 1°) verus et perfectus homo, 2°) corpore constans carneo et 3°) anima rationali 4°) inter se substantialiter unitis : est ergo nobis consubstantialis.

Omnia **de fide** : *Symb. Athan.* ; — c. Chalcedon (D. B. 148) ; — c. Lateran. IV (D. B. 429) Quoad unionem, praes. c. Viennense (D. B. 480).

I. *Verus et perfectus homo* : 1) ex tota hist. evangelica : praedicatur homo, dicitur conceptus, natus, circumcisus ; narratur ambulasse, manducasse,

dormivisse, passus esse, mortuus, etc. — 2) ex testim. et argumentatione Patrum, quod, negata vera et perfecta humanitate Christi, tota corruat revelatio, Redemptio, exemplum Christi, Eucharistia, fides, spes, caritas..., omnis certitudo humana. Cf. S. Th. totam *q.* 5. Speciatim hoc principium inculcant : quod non est assumptum non est sanatum, *v. gr.* : « τό ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον » *ap.* Greg. Naz. (M. 37, 181 C.) Primis jam seculis hoc dogma contra haereses propugnaverunt : S. Ignatius : *Eph.* 7, 18-20 ; *Magnes,* 11 ; *Trall.* 6-11 ; *Smyrn.* 1-7 ; — S. Polycarpus, *ad Philipp.* 7 ; — S. Irenaeus *l.* 3, *c.* 18-19, 22 ; *l.* 5, *c.* 1, *n.* 2 ; *c.* 17, 18... ; — Tertullianus, *C. Marcion,* l. 3 ; *de carne Christi,* (*Cf.* Petav, V. 11, 12).

Objectio deducta ex *Philipp.* 11. 6. solutionem habent in ipso textu :

a) contra Apollinaristas admittentes divinitatem, ex parallelismo cum « in forma Dei » : verus Deus, ergo etiam verus homo

b) in genere, ex mortis mentione et ex doctrina tam aperta S. Pauli quod factus sit ex muliere.

Objectio ex *II Cor.* V. 21 et *Gal.* III. 13 quod factus est « peccatum » et « maledictum » resolvitur negando paritatem cum « Et Verbum caro factum est ». Utriusque vocis significatio eruenda est ex contextu — ex doctrina aliunde nota — ex natura rei quae facit rem impossibilem nisi multoties et nitide affirmetur.

II. *Corpore constans humano (W.* 291, 295 ; 3. q. 5, a. 1, 2 ; *C. G.* IV, 29).

1, Explicite affirmant scriptores sacri (*Jo.* I, 14 ; 2 *Jo.* 7) ; — ipse Christus, Lc. XXIV, 36, ss., in institutione Eucharistiae (cf. S. Ignat. *Smyrn.* 7 et 4). Idem evidens ex tota historia evangelica : manifestatur homo, ea gerit et patitur quae exigunt corpus carneum.

2. Nec objiciantur apparitiones Angelorum, quos vel contextus vel subjecta materia docet non esse nisi apparitiones : ipsi vel non dicunt se esse homines et filios hominum vel insinuant se non agere humanitus nisi apparenter.

III. *Et anima rationali* (III. *q.* 5. *a.* 3 et 4).

1° Ex verbis Christi et tota historia evangelica : tristatur anima ejus de futuro, orat, obedit, colit virtutes, proficit sapientia.

2° Ex damnatione Apollinaristarum (D. B. 65) ; auctoritate Patrum v. gr. I Clem. *Cor.* XLIX. 6 : « τὸ αἷμα αὐτοῦ ἔδωκεν ὑπὲρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ κύριος ἡμῶν ἐν θελήματι θεοῦ, καὶ τὴν σάρκα ὑπὲρ τῆς σαρκὸς ἡμῶν καὶ τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν ψυχῶν ἡμῶν » : *Cf.* S. Iren. *Haeres.* V. 1, 1 — S. Athanasius in *tomo ad Antiochenos* (I),initio controversiarum Apollinaristarum, eos tantum probat qui « profiteantur Salvatorem habuisse οὐ σῶμα ἄψυχον, οὐδ'ἀναίσθητον, οὐδ'ἀνόητον. Neque enim possibile erat, Domino pro nobis homine facto, ἀνόητον εἶναι τὸ σῶμα αὐτοῦ : non enim corporis dumtaxat, sed etiam animae in ipso Verbo salus facta est » (M. 26, 804 B)

3° Ex rationibus theologicis ab iisdem invocatis, praesertim veritate Incarnationis et Redemptionis : Assumi debuit quae peccavit : *Cf. v. gr.* Ps. Athanas. in *Cont. Apollinar.* II. 6 (M. 26, 1142 B.).

4° Nec obstant quod Verbum dicatur *caro* per synecdochen factum : Ideo enim a S. Joanne *caro* dictum est quia a) aliqui negabant carnem : cf. I *Joan.* IV, 2-3 ; II *Joan* 7 — b) pars visibilis hominis convenientius exprimitiur ab eo qui vult inculcare Verbum vere habitare in nobis — c) sic melius apparet benignitas Dei in nos. — Falso etiam aliqui protestantes arguunt veteres Patres Apollinarismi : Franz, p. 98 ; Hurter, n. 480. — De S. Cyrillo, *cf.* Wirceb. n. 192 ; de S. Athanasio *cf. Rev. d'hist. Eccl* (Louvain) I. (1901) p. 226 vel Cavallera : *S. Athanase*, p. 215.

IV. *Inter se substantialiter unitis (q. 2. a 5* ; Fr. 95). — 1 Corol. ex praecedentibus *cf. c. G.* IV, 37. — 2. Diserta affirmatio Patrum Christi corpus esse animatum anima rationali, hominem constare unione naturali animae et corporis... — Conciliorum : *Cplni* IV (D. B. 338) ; Viennensis (D. B. 480, 481) — Nec obstat quod quidam Patres distinguant in Xto, vel tres substantias : Verbum, animam, carnem, vel corpus, animam et spiritum (Fr. 97 ; Petav. V, 13).

§ II. DE ORIGINE ASSUMPTAE NATURAE.

THESIS VII. — Christus ex nostro genere corpus assumpsit per veram generationem ex Matre — (III. *q.* 5. *a.* 2 ; *q.* 4. *a.* 6 ; *q.* 31).

Contra Valentin, Priscill., Anabapt., **de fide** est Christum natum esse *ex* Maria, nec tantum *in* Maria, *per* Mariam.

1. *Script.* —. V. T. perhibet Messiam nasciturum ex stirpe Adae, patriarcharum, Davidis, ex muliere... ; N. T. docet et narrat eum conceptum partumque a B. Maria, esseque filium ejus, esse factum ex semine David...

2. *Rationes convenientiae :* — a) cur ex nostro genere (*q.* 4, *a.* 6 ; *q.* 31, *a.* 1) : ut ea natura satisfaceret quae peccaverat ; ut natura curanda, assumptione curaretur ; ut magis splenderet potentia divina, elevando naturam ipsam corruptam ad tantam gloriam. — b) cur ex femina (*q.* 31. *a.* 4) : ut sexus uterque nobilitaretur ; ut Incarnatio fieret perfectior (Christus in omnibus nobis similis, exemplumque in omni actate ; reparatio eodem ordine facta quo ruina) et credibilior (Christus se manifestat verum hominem).

De sensu quo « *secundus homo* » dicitur » *de coelo, coelestis* » per oppositionem ad « *primum hominem* » qui « *de terra, terrenus* » (*I Cor.* XV. 48) *cf.* Cornely, in *h. l.* et Prat. : *Théol. de S. Paul*, t. I, p. 192-193, t. II. 250-252).

Articulus II.

DE DIVINITATE CHRISTI.

Status quaestionis et modus procedendi. — Divinitas Christi non tantum in se negatur sed negatur etiam fuisse ab initio in Ecclesia agnita, ita ut non fuerit ab ipso Christo de se affirmata sed paulatim ex contemplatione fidei inducta.

Hac fere via plerique acatholici putant hoc dogma prodiisse : Christus merus homo, etsi transcendens homo, habitus est a discipulis suis ut propheta, ut Messias, et ut talis exhibetur in Evangeliis synopticis. Post mortem ejus, ex fide resurrectionis, paulatim incepit ejus θεοποίησις,

ut apparet jam in eis synopticorum aut Apocalypsis locis quae fingunt ejus originem coelestem. Paulus autem ejus praeexistentiam docuit tanquam alicujus creaturae supereminentis. Postea vero, ideae platonicae induxerunt ad identificandum Christum cum Verbo divino. Quo facto, Christus *empiricus* seu historicus magis ac magis recessit a mentium consideratione, dum de Christo fidei seu *theologico* controversiae ortae sunt : quousque scilicet et quo in gradu Deus esset, seu quomodo consubstantialitas Verbi compossibilis sit cum unitate Dei. Controversiis finem vix fecit concilium Nicenum : attamen ex hoc dogma est Ecclesiae Christum esse verum Dei Patris filium consubstantialem.

Non est cur singulos istos errores separatim prosequamur.

Attamen necesse est, propter momentum quaestionis, divinitatem Christi non tantum *theologice* probare sed etiam *historice*, seu exegetice demonstrare eam fuisse in Ecclesia inde ab apostolis praedicatam et agnitam proindeque ab ipso Christo de se affirmatam. Quod utrumque fiet dum ex documentis Scripturae et Traditionis, quibus fides docet revelationem referri, ostendetur divinitas Christi fuisse semper in explicita fidelium fidei professione, apostolorum praedicatione necnon Christi de se testificatione.

Haec autem documenta, etsi nulla sunt consideranda sejunctim, tot tamen paragraphis evolventur quot in eis distingui possunt testimonia, nempe sancti Pauli, sancti Joannis, evangeliorum synopticorum, Ecclesiae tandem post-apostolicae seu antenicenae.

§ I. TESTIMONIUM S. PAULI.

THESIS VIII. — Christi divinitas non tantum in ultimis sed etiam in primis S. Pauli epistolis supponitur aut affirmatur.

Praenotanda : 1° Distinctio fit epistolarum ut excludatur evolutio vi cujus S. Paulus paulatim tantum devenisset ad fingendam sibi Christi divinitatem — 2° Non minoris momenti sunt ea quae dicuntur tantum supponere : in eis enim saepe melius apparet quam familiaris fuerit et Apostolo et fidelibus doctrina ad quam fiunt allusiones. — 3° Argumentum proponitur pro utraque serie epistolarum eo fere ordine quem indicat P. Prat. (*Théol. de S. Paul* t. II : sommaire analytique, IV, p. 549).

I. PARS : In ultimis epistolis :

1° **Dicitur Christus suo in terris adventui praeexstitisse et quidem « *in forma Dei* » atque ut creator :**

a) « Fidelis sermo... quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere » (I *Tim.* I. 15). — Ergo non simpliciter « venit in mundum » sicut « omnis homo » sed venit tantum in ordine ad aliquem finem.

b) Ex *Philipp.* II, 6-8. Antequam se exinaniret et, accipiendo « formam servi », « fieret in similitudinem hominum », jam erat « in forma Dei ».

c) « Per eum Deus fecit et secula » (*Hebr.* I. 2) : imo ipse « in principio

terram fundavit et opera manuum ejus sunt coeli » *(Hebr.* I. 10) et « portat omnia verbo virtutis suae » (3).

d) Ipse « est πρωτότοκος πάσης κτίσεως [= ante omnes creaturas], quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia... ; omnia per ipsum et in ipso (εἰς αὐτόν) creata sunt ; et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant » *(Col.* I, 15-17, cf. PRAT. I, 398, n. 1 et II, 196).

2° **Dicitur explicite Deus et habens in se plenitudinem divinitatis :**

a) Psalmista inducitur ita alloquens eum : « Thronus tuus, Deus, in seculum seculi » *(Hebr.* I. 8). — b) Juxta Deum, cujus « *gratia apparuit salutaris omnibus hominibus* », vocatur « *magnus Deus et Salvator noster* » *(Tit.* II. 10, 13 et *cf.* III. 4 et 6 et I. *Tim* VI. 14). — c) « *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis* » *(Col.* I. 9), quo verbo, etsi non indicatur directe *modus* quo in ipso est divinitas at tantum asseritur factum praesentiae divinitatis in eo, tamen explicite et ex intento inculcatur integra divinitas illi inesse. Scopus enim epistolae est avertere fideles a cultu cujuslibet alius « *principatus et potestatis* » quem seductores vellent inducere (I. 16-20 et II. 6-20) cf. PRAT. I. *l.* IV, *ch.* II et II. *p.* 230.

II. PARS : In primis epistolis.

1° **Supponitur praeexistens ut** « *Filius Dei* » **missioni seu adventui suo in mundum**, siquidem, a) quando mittitur, « *praestituto tempore* », mittitur, non ad hoc ut fiat « *Filius Dei* », sed, ut, manens quod erat, « *fiat* » « *ex muliere et sub lege* » *(Gal.* IV, 4-5). — b) Quando assumit statum in quo « *propter nos egenus* » sit, commutat statum in quo « *dives erat* » *(II. Cor.* VIII, 9). — c) Quando mittitur a Patre « *in similitudinem carnis peccati* », mittitur, non ut incipiat esse, sed ut habeat unde possit « *de peccato damnare peccatum in carne* » *(Rom.* VIII, 3).

2. **Nomen** κύριος, quod, in lingua graeca, Judaeis erat pro nomine Jahve, **fit ejus proprium** et sensu quidem ita absoluto ut quod erat Jahve Judaeis hoc ὁ κύριος Ἰ. Χ. sit christianis.

a) κύριος apud Paulum, praeter citationes ex Vet T°, non jam de Deo Patre sed de solo Christo dicitur : 44^ies sensu relativo : ὁ κύριος ἡμῶν Ἰ. Χ.; 42^ies sensu absoluto : ὁ κύριος Ἰ. Χ. vel ὁ κύριος Ἰ. ; imo ita proprium est nomen Christi ut, etiam sine articulo, ei applicetur, v. gr. *Rom.* XIV. 6 ; I *Cor.* VII. 22 ; cf. *Eph.* VI. 8 ; *Philipp.* II. 11.

b) ὁ κύριος est hoc sensu quod illi, sub hac notione. ea competunt quae proprie divina sunt, v. gr. : « *per eum omnia* » facta sunt *(I Cor.* VIII. 6) ; — ab eo omnia disponuntur, ita ut etiam infirmitates et calamitates naturales sint « *correptiones* » quibus interim « *suos judicat ne cum hoc mundo damnentur* » *(I Cor.* XI. 29-32) — ejus ita « *sumus omnes* » ut ei « *stemus* », « *ei vivamus, ei moriamur* », ei, tanquam « *Deo, unusquisque nostrum sit rationem redditurus* » *(Rom.* XIV. 6-12).

c) Quod erat Judaeis « *invocare nomen Domini* » (v. gr. I. *Reg.* XVIII. 24. 26 ; II *Reg.* V. 11 ; Joel, II. 32), hoc christianis est « *invocare nomen Domi-*

ni Jesu Christi », nempe, z) hoc signo specificantur : sunt ii « *qui invocant hoc nomen* (*Act.* IX. 14-21 ; I *Cor.* I. 2) ; — y) per illius nomen obtestantur, obsecrant, sicut Judaei « *per nomen, in nomine Domini* : v. gr. I *Thess.* IV. 1 ; II *Thess.* II. 1 ; III. 16 ; I *Cor.* I. 10) — x) sicut scriptum erat de Deo apud *Joël* III. 5, « Quicumque invocaverit nomen ejus salvus erit » (*Rom.* X, 9-14).

d) Haec est summa praedicationis apostolicae et tessera professionis fidei quod Christus sit κύριος : v. gr : « Non nosmetipsos praedicamus, ἀλλὰ Χριστὸν Ἰησοῦν κύριον, ἑαυτοὺς δὲ δούλους ὑμῶν » (II *Cor.* IV. 5). « *Quod si confitearis in ore tuo* κύριον Ἰησοῦν.., *salvus eris* » (*Rom.* X, 9 et *cf.* de S. Paulo ipso : » *Crede in Dominum Jesum et salvus eris* » (*Act.* XVI. 31). « *Ablue peccata tua, invocato nomine ejus* » (*Act.* XXII. 16). « *Nemo enim potest dicere* KYPIOS IHΣOYΣ, *nisi in Spiritu Sancto* » (I *Cor.* XII. 3).

3° **De eo omnia dicuntur quae de solo Deo dicuntur vel dici possunt** : v. gr. — praeter praemissa :

a) S. Paulus, qui respuit apostolatum « *ab hominibus vel per hominem* », se profitetur apostolum « *per Jesum Christum et Deum Patrem* » (*Gal.* I. 1).

b) Jam in epistolis ad Thessalon. connumeratur Deo Patri, tanquam unicum Ecclesiae fundamentum (*I Thess.* I. 1 ; *II Thess.* I. 1) et utrique simul tribuitur influxus supremus in perficiendo opere salutari (*I Thess.* III. 11 ; *II Thess.* II. 16-18.) — Cujus facti, dato tempore quo scriptae sunt epistolae, quantum sit momentum dogmaticum sic enuntiat scriptor quidam americanus citatus in *Rev. prat. d'Apolog.* 1 janvier 1909 p. 538. « Rien ne peut surpasser la place assignée ici à la personne du Christ, même en des écrits où l'on entend insister sur le monothéisme... Le fait que le Christ, même si on l'envisage à part, doit être considéré comme l'auteur immédiat de la naissance spirituelle de son peuple, établi par lui dans la sainteté en vue de son second avènement, est très significatif. »

c) « *Gratia* », quae roganti promittitur « *sufficiens* » contra « *angelum satanae* », est ejus (*II Cor.* XII. 8-9 et cf. passim : « *gratia Dni N. J. C.*) » Imo « *gratiam Dei* » is abjiceret qui tribueret justitiam suam alii ac morti Jes. Christi ac fidei in ipsum (*Gal.* II. 16-21.)

d) Christianis est « *vita* » et « *principium vitae* » eis « *inhabitans*, v. gr. *Gal.* II. 20 ; IV. 19 ; I. *Cor.* VI. 15-20 ; II *Cor.* XIII. 3-5 ; *Rom.* VIII. 9-10 ; *Eph.* III. 17. — Quod et dicitur etiam de Patre ac de Spiritu Sancto, de quorum divinitate nemo dubitat, et non potest esse verum de ullo homine aut spiritu sed de solo Deo.

4° **Dicitur explicite Deus** :

a) dum dicitur « filius Dei » naturalis : (cf. infra thes. XI) — b) *Act.* XX. 28 : « *regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo* ». (Cf. PRAT. *t.* II. *p.* 175 et *note* H² *p.* 193-194.)

c) dum, *Rom.* IX. 5, Christus, qui « *secundum carnem est ex judaeis* », dicitur esse « SUPER OMNIA DEUS BENEDICTUS IN SECULA. ». Haec enim appellatio valet, non de Deo Patre, sed de ipso Christo, ut constat : z) ex parallelismo hujus loci cum aliis ubi idem implicite vel explicite dicitur : v. gr. : — praeter praemissa — est supra omnem creaturam ita ut omnia, praeter

Deum, sint ejus (I *Cor.* III. 22-23 ; XV. 23-28) ; est « *Dominus gloriae* » (I *Cor.* II. 8) ; « *Dominus per quem omnia* » (I. *Cor.* VIII. 6.) « ; *imago Dei* » (II *Cor.* IV. 4), quod S. Greg. Nazianz. pulcherrime ita interpretatur : « Imago [dicitur] quia ὁμοούσιος et ex illo est... Haec siquidem imaginis natura est, ut sit imitatio exemplaris cujus imago dicitur... Viva autem haec est viventis imago, multoque minus a Patre differens quam Seth ab Adamo, filiusque omnis a parente suo. Hujusmodi namque simplicium rerum natura est, ut non partim inter se similes sint, partim dissimiles, sed totae totas repraesentent, eaedemque potius sint quam similes » (*Oratio* XXX. 20 M. 36. 130. B-C.) In formulis trinitariis connumeratur Patri et Spiritui Sancto (I *Cor.* XII. 4-7 ; II *Cor.* XIII. 13) — **y**) ex interpretatione unanimi Patrum, sive agentium contra Monarchianos qui potuissent ibi agnoscere identitatem Patris et Christi, sive disputantium contra Arianos qui non negabant hic agi de Christo sed dictum illud tantum reticebant vel subtile interpretabantur (Cf. Durard in *Rev. bibl.* 1903, *p.* 550-570) — **x**) ex obvio sensu textus (cf. Prat : *t.* II *p.* 181-184 ; Lebreton : *Les origines de la Trinité* p. 317-318 ; Corluy : *Spicilegium* II p. 24 sqq. — **v**) ex consonantia cum contextu qui est de exaltando genere Judaïco ex quo est Christus.

Objicitur : A) Apellationem « Θεός » reservari « Patri », ut constat ex I *Cor.* VIII. 6 et XII. 4-6.

Resp. : Quoad I *Cor.* VIII. 6 : Non magis excluditur « *Filius* » ab appellatione « Θεός » quam excluditur « *Pater* » ab appellatione « Κύριος » : Ita Chrysost. : « Ἕνα θεὸν τὸν Πατέρα ἐκάλεσεν, οὐκ ἐκβάλλων τὸν Υἱὸν τῆς θεότητος, ὥσπερ καὶ ἕνα Κύριον τὸν Υἱόν, οὐκ ἐκβάλλων τῆς κυριότητος τὸν Πατέρα » (*De incomprehensibili* V. 3 M. 48. 740 A ; cf. idem in I *Cor. hom.* XX. 3 M. 61. 164). — Et re vera, scopus Pauli hoc loco est ut dicat τὴν Θεότητα, vel τὴν κυριότητα non competere idolis, quae sive in coelo sive in terra « *dicuntur* » a gentilibus Θεοί vel κύριοι, quia solis Deo et Christo competunt. Recte addunt Chrysost. *(loc. cit.)* et Tertullianus (*adv. Praxeam.* 13 M. 2. 170) Paulum ideo forte, cum « pariter nominandi essent Pater et Filius, Deum Patrum appellasse, et Jesum Christum Dominum appellasse », ne, gentilibus loquens, videretur et ipse polytheista, si « deos ac dominos » diceret. — Tandem et ipse Paulus significat Christum κύριον intelligendum esse Deum, cum addit de « eo per quem omnia »

Quoad I *Cor.* XII. 4-6, sufficit notare eam, quae fit ibi, appropriationem Deo, Domino et Spiritui, non esse ita fixam ut attributiones permutari nequeant : cf. v. gr. hoc loco *v.* 6 cum *v.* 11 ; I *Cor.* VII. 17 ubi modo ὁ κύριος, modo ὁ θεός dicitur dividere ; item I *Cor.* III. 5 : « *unicuique sicut Dominus dedit* » et 10 : « *Secundum gratiam Dei quae data est mihi* »

B) doxologias, qualis est *Rom.* IX. 5, reservari in Scriptura soli Deo Patri.

Resp., cum Prat. (II. 183), non esse ibi doxologiam sed assertionem directam. — Ceterum sunt etiam doxologiae ad Christum, v. gr. II *Tim.* IV. 18, ubi, ex coll. cum v. 8 et 22, constat agi de Christo ; II *Petr.* III. 18 ; *Apoc.* I. 6 ; item, juxta quosdam, II *Thess.* I. 12 et *Philipp.* II. 11 ; (Cf. *Prat.* t. II. p. 178-179.)

C) appositionem ὁ ἐπὶ πάντων reservari Deo Patri ex Eph. IV. 6.

Resp. Hoc in genere verum est, quia haec formula indicat Patrem esse sine principio. Sed formula non est eadem, nam, Rom. IX. 5, Christus dicitur esse ἐπί πάντων θεός non ὁ ἐπὶ πάντων θεός.

LEMMA : Doctrina S. Pauli de divinitate Christi non est ei propria sed communis cum tota Ecclesia, ut constat tum ex eo quod nunquam ab ullis in controversiam ducta est, tum ex eo quod eam supponit familiarem

Romanis, quos nondum novit, tum ex eo quod eamdem supponunt ejus coaevi, v. gr. — praeter S. Joannem et synopticos, de quibus infra — S. Stephanus (*Act.* VII. 19-60) « *Domino Jesu* » tradit spiritum suum, rogat eum « *ne statuat illis peccatum* », obdormit in eo ; S. Petrus (II *Petr.* I. 1) de « *Deo nostro et salvatore Jesu Christo* » loquitur sicut S. Paulus (*Tit.* II. 13) ; Juda 4. 7. (*cf.* 9 et 11 *Petr.* 11. 10) denuntiat « negantes τὸν μόνον δεσπότην καὶ κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν » tanquam blasphemantes et « contemptores κυριότητος » cujus nomine Michael olim diabolum devicit.

Objicitur a S. Petro dictum (*Act.* II. 22. 24. 36) quod « *Jesum virum approbatum a Deo, a Deo e mortuis suscitatum, Deus fecit Dominum et Christum* » per resurrectionem et exaltationem a dextris suis.

Resp. 1. Verum est S. Petrum hic non prosequi nisi scopum apologeticum demonstrandi Judaeis Jesum crucifixum esse Messiam = Christum. Ea vero omnia quae dicit omnino vera sunt de Christo homine nec incompossibilia cum fide de ejus divinitate. Cf. v. gr. *Philipp.* II. 10-11, ubi pariter suprema Christi dominatio exhibetur ut fructus mortis et resurrectionis, vel *Rom.* VIII. 11, ubi Christus dicitur « *suscitatus a mortuis* » eodem modo quo omnes homines a Deo suscitabuntur. (cf. Chrysost. *in Joan. hom.* III. 4 M. 59. 42).

2. S. Petrus dicit Christum post resurrectionem et exaltationem constitutum esse Dominum et Christum saltem hoc sensu quod tunc demonstratus est esse talis, vel quod tunc incepit exercere dominationem et imperium At non dicit illum antecedenter non habuisse ex sua dignitate vel natura jus ad illud.

Hinc in forma : « *fecit illum Dominum* » hoc sensu quod *ex tunc incepit apparere dominus : conc. ;* quasi antea non esset, seu non haberet jus ad eam dignitatem et potestatem : **subdist** : et hoc loco non dicitur jus illud ei adfuisse *(conc.)*, negatur jus illud ei adfuisse *(nego)*.

3. Imo dicta a S. Petro hic et in aliis ejusmodi orationibus ostendunt eum de Christo multo diviniora cogitasse : v. gr. mittit Spiritum Sanctum (II. 33) ; occisus est ἀρχηγὸς τῆς ζωῆς (III. 15) ; est « πάντων κύριος » (X. 36) etc. cf. Lebreton : *Les origines du dogme de la Trinité*, p. 261 *sqq.*

COROLLARIUM. Applicatio facta Caesaribus appellationum « θεός, κύριος, σωτήρ », ut refertur a P. Prat. (II. 189-190), non est comparanda applicationi earumdem Christo Haec enim originem habet mere biblicam, et christiani, teste S. Paulo (I *Cor.* VIII. 5-6), abhorrebant ab illa divinisatione hominum (Cf. Prat. II. 167 et 190).

§ II. TESTIMONIUM S. JOANNIS.

THESIS IX. — Ex Evangelio S. Joannis constat non tantum auctorem docuisse Christi divinitatem sed etiam Christum eamdem sibi vindicasse.

I. PARS : S. Joannes docet Christi divinitatem.

Res est in confesso apud omnes et probatur ex toto evangelio, cujus scopus est fidem facere « *quia Jesus est Christus filius Dei* » (XX. 31), sensu quo S. Thomas confessus est : « *Dominus meus et Deus meus* » (20). — Cf. I *Joan.* IV. 14-15.

Quae demonstratio jam in primo capitulo — sicut et I. *Joan.* I. 1-4 — thetice proponitur : Jesus Christus est Deus, **quia Verbum, quod caro factum est, est Deus**, ut constat, **a**) ex I. 1. « Θεὸς ἦν ὁ λόγος », ubi vox

« θεός » sine articulo significat, sicut in toto capitulo (6, 13, 18,) naturam divinam per distinctionem ad « τὸν θεόν » qui hic designat « Deum Patrem » — **b**) ex 14 coll. cum 18, ubi incarnatus dicitur « unigenitus a Patre » seu genitus modo sibi exclusive proprio et « μονογενὴς θεός » — **c**) ex ejus immanentia Patri : ἦν πρὸς τὸν θεόν (1) et est εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός (18), quo simul indicatur et ejus distinctio (Cf. Marc IX. 19 de vi particulae πρός et I. Joan. I. 2 de repetitione istius distinctionis) et ejus in Patre immanentia. — **d**) ex eo quod ratio cur potuerit « enarrare » « Deum quem nemo vidit unquam » dicitur esse ejus in Patre immanentia (18 et Cf. I. *Cor.* II. 10-11 et *Math.* XI. 27).

(De toto prologo, cf. Corluy : *Spicilegium* I *p.* 138 et II *p.* 51 ; Lebreton : *Les origines de la Trinité. p.* 382 *sqq.*)

II PARS : Ex evangelio S. Joannis constat Christum divinitatem sibi vindicasse.

Praenotanda 1° Haec pars theseos est assertiva simul et illativa. Asserit Christi verba, qualia in Evangelio referuntur, fundere hunc sensum. Infert haec verba esse historica.

2° Assertio tantum probanda venit. Illatio enim fundatur aliunde notis, nempe in eo quod: a) valor historicus evangelii alibi in genere probatus est; — b) doctrina de Christi divinitate ac de divino ejus in sanctificandis fidelibus munere, qualem se prodit in epistolis S. Pauli, facit verba Christi, qualia referuntur a S. Joanne, non tantum verisimilia sed etiam necessario supponenda — c) modus specialis quo S. Joannes refert Christi verba arguit eum illa meditasse et intellexisse sub influxu Spiritus Sancti (Cf. *Joan.* II 22 ; XII. 16 ; XIV. 26 ; XVI. 4 ; XIII. 7) non autem illum excogitasse ipsam doctrinam (Cf. Lebreton : *op. cit.* p. 374-382.)

Probatur assertio :

1° Eadem erga se atque erga Patrem exigit: cultum **fidei** (VI. 29-47 ; XI 36; XIV. 1; XVII.3) ; **spei** (XVI. 13-14 ; XV. 5-7 ; XVI. 43); **caritatis** super omnia (XIV.21-28 ; XVI. 7-13). Cf. Franzelin : *De verbo incarn.* p. 25-39.

2° Se dicit de coelo descendisse (III. 13 ; VI. 38. 41. 50. 51. 62) — antiquiorem Abraham (VIII. 52-56) — claritatem habuisse apud Patrem suum prius quam mundus esset (XVII. 5).

3° Sibi in Spiritum Sanctum eum influxum tribuit vi cujus ab eo clarificetur : ideo enim Sp. S. de suo accipiet quia quaecumque Pater habet sua sunt.

4° Judaeis volentibus eum interficere quia « *patrem suum dicebat Deum, aequalem se faciens Deo* » (V. 18) respondet, non suadendo aliam interpretationem sui modi agendi sed confirmando tantam esse sui cum Patre conjunctionem et aequalitatem ut « *quaecumque Pater fecerit haec et Filius similiter faciat* » (19) ; voluntas sit Patris quod « *omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem* » (23) ; « sicut Pater habeat vitam in semetipso sic et Filius habeat vitam in semetipso (26 ; *cf.* I. 4.)

5° Judaeis volentibus eum lapidare quia se facit Deum, verba sua ita

tuetur ut non tantum non retractet aut minuat sed etiam confirmet, (X. 28-39). Hoc enim constat tum ex eo quod explicatio non sopit sed accendit iram judaeorum (39), tum ex eo quod justificatio sui asserti (34-38) continet, post argumentationem ad hominem contra calumniam blasphemiae, argumentationem a minori ad majus ad confirmandam suam assertionem. Stat ergo eum hoc loco sibi vindicare tantam cum Deo Patre conjunctionem et mutuam immanentiam ut « ipse et Pater unum sint » seu « unius substantiae duo sint... Scrutare [enim], ut ait AUGUST. (*Cont. Maxim. l.* II. *cp.* XXII. 2 M. 42. 794), Scripturas canonicas veteres et novas et inveni, si potes, ubi dicta sunt aliqua : Unum sunt, quae sint diversae naturae atque substantiae »

De hoc loco classico *cf.* CORLUY : *Spicileg.* II p. 33 ; FRANZELIN : *De Deo trino, thes.* II § II et III, p. 23-28.

Solvuntur objectiones : 1° Multi textus ubi Christus suam ad Patrem subordinationem significat intelliguntur de ejus humanitate.

2° Etiam verbum « Pater major me est » (XIV. 28), etsi olim a S. Athanasio et aliis Graecis intellectum est de divinitate quam Christus non habet nisi a Patre ut a principio communicatam, tamen melius cum aliis intelligitur de humanitate.

3° Dictum « ut cognoscant te, solem Deum verum. et quem misisti Jesum Christum » (XVII. 3), quod, juxta verbum Deuteronomii (XXXII. 39) : « Videte quod ego sum solus Deus et non est alius Deus praeter me », videtur excludere Christum a divinitate quae sit solius Patris, excludit tantum omnem alium Deum qui non sit « unum » cum Deo Patre, ut constat tum ex contextu in Deuteromio, tum ex scopo S. Joannis qui in evangelio, sicut in prima sua epistola, vult ostendere veram essentiam divinam esse in carne Christi, non autem inesse illi aliquam potentiam intermediam qualem fingebant v. gr. docetae. Hinc ejus explicita assertio « Jesum Christum esse verum Deum et vitam aeternam « (I *Joan* V. 20) — Sensus proinde verbi Christi est : « te qui es solus Deus verus », at non : « te qui solus es Deus verus ».

§ III. TESTIMONIUM SYNOPTICORUM.

Propter questionis momentum et difficultatem, duae astruuntur theses, quarum prior ostendat quo modo Christus insinuaverit paulatim suam divinitatem, posterior vero sensum aperiat appellationis « Filii Dei » quam sibi vindicavit — Cfr. LEBRETON : *La Révélation du Fils de Dieu* dans ETUDES, mars 1908,p. 399 sqq. — *Les origines du Dogme de la Trinité*, l. III, ch. I. 2. — LAGRANGE : *Evangile selon saint Marc. Introd.* CXXIXVII-CXL.

THESIS X. — Etiam apud synopticos multa referuntur Christi dicta vel acta quae arguunt ejus divinitatem.

Proenotanda. — Ad perpendenda recte quae Christus de se significat, duo sunt prae oculis habenda : 1° Non expediebat ut Deum se statim verbis explicitis proclamaret sed ita caute ut bene dispositi facile intelligerent, ceteri ab initio non alienarentur : « Si enim statim dixisset : Audistis quia dictum est antiquis : Ego Dominus Deus tuus et praeter me non est alius ; ego autem dico vobis, ut me adoretis sicut et illum, id effecisset ut omnes illum quasi furentem habuissent » (CHRYSOST. *in Math. hom.* XVII.

1. M. 57, 255). — 2° Cum Christus de se sublimia loquitur, ea nunquam sunt extenuanda sed plerumque potius amplificanda. « Is enim, qui, ad docendum humilitatem, abjecta sibi non competentia saepe dixit, multo magis, si creatus fuisset, id non praetermissurus erat... Qui enim tam humilia sese demittendo loquitur, multo minus id tacuisset « (IDEM. *in Joan. hom.* III. 4. M. 59, 43-42).

Probatur. — 1° *Se extollit supra omnes creaturas :* major est quam Salomon *(Math.* XII. 43) ; quam templum (XII. 6) ; superior est ei qui transcendit non tantum omnes prohetas sed etiam omnes « natos mulierum » *(Math.* XI. 7-12) ; est supra angelos *(Math.* XXIV. 35) qui parabunt ei viam venienti in nubibus coeli (30).

2° Dum *alii prophetae* — necnon S. Joannes et Apostoli, v. gr. *Act.* III. 15-16 — non loquuntur aut edunt miracula nisi nomine et *virtute aliena,* Dei scilicet, *Christus* « docet tanquam potestatem habens » (*Marc.* I. 22), *nomine suo* (« Ego autem dico vobis ») ; in edendis miraculis seipso agit, nam « virtus de illo exibat et sanabat omnes » (*Luc.* VI. 19), ita uttangentes cum fide fimbriam vestimentorum ejus exciperent virtutem ab eo exeuntem et sanarentur (*Marc.* V. 27-33 et *Luc.* XXVIII. 44-48) : « Quotquot enim tangebant eum salvi fiebant » (*Marc.* VI. 56), et ad nutum ejus leprosi mundantur (*Math.* VIII. 3 : « Volo, mundare »), « mare obmutescit (*Marc.* IV. 39) », « adolescens mortuus surgit » (*Luc.* VII. 14.)

Imo, qui vetat discipulos suos se vocare « rabbi » aut « magistros », is se dicit « magistrum » (*Math.* XXIII. 8-10) et permittit se passim vocari « magistrum » — (Cf. *Joan* XIII. 13.) — Praesertim se, in interrogatione « de *Filio David* », insinuat esse « *Dominum David* » *quem ipse Jahve sedere faciat a dextris suis* (*Marc.* XII. 35-37 et parall.)

3° Totam oeconomiam religiosam ipse ita disponit ut ea omnia *quae in veteri T° Deo propria erant ipse ea etiam sibi ascribat,* v. gr. **a**) dominus est sabbati (*Marc.* III. 27.) — **b**) legem ipse perficit (*Matth.* V. 18-48.) — **c**) in nomine ejus « daemonia subjiciuntur » discipulis et ipse dat virtutem quaelibet miracula patrandi (*Luc.* X. 17-19.) — **d**) ipse suum jugum imponit et ipse requiem animabus promittit (*Matth.* XI. 28-29.) **e**) propter eum omnia sunt abjicienda (*Luc.* XIV. 26 sqq) et qui non eum amat prae patre et matre non est eo dignus (*Matth.* X. 37), quasi sit et ipse « ex toto corde amandus. » — **f**) beatos dicit eos qui persecutionem patiuntur propter ipsum sicut et alios omnes qui sectantur justitiam *(Matth.*V. 11. *Cf. Luc.* VI. 22.) — **g**) ipse peccata dimittit probatque se eam potestatem habere, quam non negat esse divinam (*Marc.* II. 1-12), etsi non corrigat assertionem plebis non admirantis ibi nisi « potestatem talem datam hominibus »(*Matth.* IX. 8.) — Imo, sicut in oratione dominica peccatores dicuntur Deo debitores, ita ipse peccatricem, cui peccata dimittit, inducit ut sibi debitricem cui « multa ipse remittit quia ipse multum ab ea dilectus » (*Luc.* VII. 41-47.) — **h**) in ultimo judicio ratio dicitur habenda tantum eorum quae fuerint illi praestita vel denegata (*Matth.* XXV. 35 sqq.) Uno verbo, non

tantum omnia disponit tanquam « auctoritatem habens » et divinam quidem atque suam sed etiam ipse novae oeconomiae religiosae se facit et centrum et finem. — Quae omnia apud talem divinae transcendentiae assertorem significant eum se facere Deo aequalem.

THESIS XI. — In specie vero, teste tum apostolorum et evangelistarum fide, tum ipsa narratione evangelica, ipse se significavit esse Filium Dei naturalem.

Praenotanda. — 1° Thesis complet demonstrationem divinitatis Christi testimonio quod ipse dedit se esse Filium Dei naturalem. Quod tanti est momenti ut hodierni dogmatis adversarii toti sint in illa notione pervertenda. Dicunt enim Christum hanc sui appellationem non probasse nisi ut expressivam suae messianitatis seu illius ad Deum intimae ac piae conjunctionis vi cujus, ut de Messia praedictum erat, « ipse Deo in filium et ipsi Deus in patrem erat », ita ut « in omnibus textibus evangelicis nomen « Filius Dei » aequivaleat tantum nomini « Messias » [= Christus], minime vero significet Christum esse verum et naturalem Dei Filium » (D.B. 2030) — Scopus proinde theseos est demonstrare quo sensu Christus se Filium Dei significaverit.

2° Demonstratio vero sic procedit ut Christi dicta vel facta, qualia sunt in evangeliis, illustrentur documentis coaevis in quibus eadem appellatio adhibetur. Hinc in thesi quasi tres partes : 1° ab initio praedicationis apostolicae Christus creditus est Filius Dei naturalis ; 2° ipsi evangelistae, ubi suo nomine loquuntur, Filium Dei intelligunt naturalem ; 3° ipsa narratio evangelica fidem facit Christum se dixisse Filium Dei naturalem. — Quae tria sejunctim proponenda se tamen ita mutuo confirmant ut duae primae partes sint tertiae quasi praevia probatio.

I. PARS : Ab initio praedicationis apostolicae Christus creditus est Filius Dei naturalis.

Probatur : 1° **Ex epistolis S. Pauli etiam primis,** ubi *Christum Filium Dei proprium distinguit a filiis ejus adoptivis :*

a) Christum vocat « Filium Dei » sensu proprio et naturali ita ut jam ab initio « Pater » et « Filius » sint nomen proprium Dei et Christi : v. gr. I *Thess.* I. 10 coll. cum I. 6 vel III. 11-12, ubi is qui dicitur « Dei Filius » dicitur etiam Dominus et Deo aequiparatur — *Gal.* II. 20-21, ubi qui dicitur — et quidem ante exaltationem suam — Filius Dei dicitur etiam Deus, siquidem illa « gratia Dei quam non abjicit » est sacrificium Filii qui « dilexit et se tradidit » — *Rom.* I. 9 ; V. 10 ; VIII. 3 ; I *Cor.* I. 9 ; XV. 28, ubi is, qui in iisdem epistolis passim dicitur vel supponitur Deus sensu proprio, vocatur simpliciter Filius Dei.

b) In Christo distinguit *duplicem naturam : Rom.* I. 3-4, ubi is, qui jam est Filius Dei, dicitur fieri Davidicus assumendo carnem, sicut *Gal.* IV. 4-6 dicitur « fieri » ex muliere, fieri sub lege » — De *Rom.* I. 3-4 *cf.* Cornely in *h. l.* — Prat. II. 191-192).

c) Filium Dei *proprium* distinguit ab eis qui fiunt per eum filii Dei *adoptivi* : *Rom.* VIII. 3 29 33 ; *Gal.* IV. 4-6.

2° **Ex ceteris apostolorum scriptis,** ubi absque dubio sensu proprio habetur Deus is qui vocatur Filius Dei : *Eph.* I. 6 ; IV. 13 ; *Col.* I. 13 ; *epist.* ad *Hebraeos* ; II. *Petr.* I-17 ; I. *Joan.* I. 3-7 ; II. 22-24 ; III. 8 23 ; IV. 9-15 ; V. 5-9 ; 13-20 ; II. *Joan.* 9 ; *Apoc.* 11. 8. — De *Act. Apost. cf.* LEBRETON : *Les origines du Dogme de la Trinité,* p. 264.

II. PARS : Evangelistae, ubi suo nomine loquuntur, Filium Dei intelligunt naturalem.

Praenotanda: Distinctio quae fit inter ea quae evangelistae suo nomine dicunt et ea quae referunt non est adaequata et non est nisi methodica. Utilis est tum quia juvat dignoscere quo sensu ipsi intelligant nomen « Filium Dei », ubi illud in ore aliorum referunt, tum quia ex modo quo illud intelligunt licet arguere ad sensum quem Christus ipse revera probavit.

Probatur. — 1° *Ex praecedenti parte* et ex demonstrata fide in Ecclesia vigente tempore quo evangelistae scripserunt. — Ceterum adversarii ultro concedunt evangelistas nomini « Filium Dei » sensum plus quam messianicum indidisse. Sic. v. g. HARNACK de S. Marco dicit : « Er hat bereits aus Jesu nahezu ein Göttliches Gespent gemacht oder eine solche Auffassung vorgefunden » *(Lucas der Arzt.,* p. 81 *note 1).*

2. *De S. Joanne* res est in confesso apud omnes, nec est cur probetur.

3. *De synopticis:* **a**) S.MATTHAEUS applicando Christo de virgine nato prophetiam Isaïae de Emmanuel, intrepretatur nomen ejus de Deo : « μεθ' ἡμῶν ὁ θεός » (I. 23). — **b**) S. MARCUS, ab initio evangelii, vocat Jesum non tantum « Christum » sed etiam « filium Dei » : quod esset mere pleonastice dictum, si sensus esset mere messianicus. — **c**) TRES, dum applicant praecursori Christi prophetiam Isaiae (XL. 3) de paranda via Domini, eo ipso applicant Christo vocem κύριος quae est de Jahve dicta. — **d**) TRES ergo, ubi, occasione baptismi Christi et Transfigurationis, referunt vocem Dei Patris : « Tu es Filius meus dilectus, in te complacui *(Marc.* I. 11), eam intelligunt de filiatione naturali Haec enim referunt ad indicandum non quid tunc Christus factus sit sed quid ab ipso Patre demonstratus sit esse.

Nec dicas : « Filius Dei » evangelistis non est nisi « conceptus de Spiritu Sancto ex virgine », juxta *Luc.* I. 35, nam : **a**) S. Lucas, qui solus hanc connexionem statuit, certe tenet Christum esse plus quam hominem miraculose conceptum ; **b**) connexio illa, vocibus διὸ καί indicata, non statuit causalitatem propriam, siquidem jam antea (v. 32) nasciturus ex Maria dictus est vocandus « Filius Dei » quin allusio fieret ad conceptionem virgineam, et explicatio de modo conceptionis, cui subjungitur connexio, non datur ut ratio habeatur cur filius Mariae vocandus sit Filius Dei (cf. DURAND : *L'enfance de J. C.* p. 156-157). — **c**) apud synopticos appellatio « Filius Dei » adhibetur a multis qui certe nesciunt adhuc conceptionem virgineam : ergo propter aliam causam. Quod cum fateantur adversarii, sic est eis ratiocinandum ut nomen « Filius Dei » datum Christo dicant esse causam cur excogitata sit conceptio virginea. — **d**) Angelus ceterum causam daret cur ita denominaretur

Christus, non sensum indicaret quo esset « Filius Dei ». — e) Tandem solutio completa dabitur in sequenti parte ex qua constabit Christum esse alio in sensu Filium Dei.

III. PARS : Ipsa narratio evangelica fidem facit Christum se dixisse Filium Dei naturalem.

Praenotanda. 1° Christum aliquo modo se Filium Dei significasse dubium esse nequit tum ex conviciis inimicorum (*Matth.* XXVII. 40-43) ; tum ex tolerata et probata confessione daemoniorum quae jubet tacere at non sententiam mutare, tum ex appellationibus « Patris » et « Filii » quas habuit adeo familiares. At quaestio est utrum se voluerit agnosci Filium Dei naturalem. Responsum sane obvium est si procedatur mere theologice nec attendatur narratio evangelica nisi qualis jacet et inspiratione munita. Ex praemissis enim constat auctores evangeliorum quo sensu « Filium Dei » ipsi intellexerint At **quaestio praejudicialis** ab adversariis moveri solet num in evangeliis verba Christi et auditorum referantur qualia et quo contextu prolata sunt. Imo indicia sibi dignoscere videntur intentionis, quae fuerit evangelistarum, affingendi verbis istis sensum profundiorem recentioremque : varietates v. gr. urgentur quae adsunt in modo referendi sive confessionem Petri sive responsionem Christi ad Caïpham ; obtenduntur loca evangeliorum vel scriptorum coaevorum ubi etiamnunc formula « Filius Dei » retinere videtur sensum mere messianicum.

2° Responsio proinde nostra, ne sit tantum theologica sed etiam exegetica seu historica et apologetica, rationem habere debet hujus status quaestionis. Hinc est cur negative primum thesis probabitur, removendo scilicet praejudicia adversariorum ; positive postea per ea ipsa quae cum suo primigenio colore evangelistae referunt demonstrabitur Christum re vera se voluisse intelligi Filium Dei naturalem.

Probatur. 1° NEGATIVE : **A**). *Non constat nomen « Filius Dei » fuisse tempore Christi usitatum ad designandum simpliciter Messiam.* — *Cf.* de hoc LAGRANGE : *Rev. bibl.* 1908, p 487-489, ubi, postquam probavit populum Israël et praesertim justos, David in primis ejusque filium, Messiam a fortiori futurum, dictos esse a Deo habendos esse Deo in filios, concludit tamen appellationem illam « Filius Dei » non fuisse ab ullo usitatam ut titulum specialem tum regis ullius Israel tum Messiae venturi. — Quae conclusio, optime jam exposita a FRANZELIN : *De verbo incarnato, thes.* III. 2°, non satis attenditur a LEPIN *(Jésus Messie et Fils de Dieu, ch.* I et II, p. 37-54) sed communis videtur eis qui non a priori conjecturas faciunt : « There is no passage in Jewish litterature, that can be confidently dated as earlier than christianity, in which this name is given to the Messiah » (SCHMIDT, in *Encycl Bibl.* t. IV. art. *Son of God*, 6, col. 4694) — *Cf.* LEBRETON : *Les origines* etc., p. 121 et 246 et ETUDES : mars 1908, p. 725-728.

B). *Fides in Ecclesia ab initio vigens*, quae se prodit in ea tam explicita ac frequenti appellatione « Filius Dei » supponit explicitam affirmationem Christi. Secus enim non datur ratio cur Judaïci evangelii praecones, qui

tantopere monotheismo adhaerebant, invenissent eam appellationem quae, seclusa revelatione mysterii, ditheismum mentibus ingerere nata fuisset.

Nec dicas : haec appellatio adhibita est pro « Christus » vel « Messias » cujus notio ethnico-christianis fuisset inintelligibilis, nam constat **a**) eam adhibitam esse sensu aliquo ab ipso Christo — **b**) scripta ad ethnico-christianos directa proferre nomen « Christus » tam saepe vel saepius quam vocem « Filius Dei » : v. gr. apud Paulum, Filius Dei 20^ies ad summum, Christus ultra 400^ies ; apud S. Lucam : in Evangelio, Filius Dei 11^ies, Christus 11^ies ; in Actis, Filius Dei 6^ies ad summum, Christus saltem 30^ies ; in evangelio S. Joannis, Filius Dei 27^ies, Christus 20^ies — **c**) etiam ethnico-christianis evangelium propositum esse ut finem Vet. T^i et Legis atque prophetiarum adimplementum, v. gr. I *Cor.* et *Gal.* passim. Imo propositio doctrinae ad catechumenos semper incepit ab historia lapsus generis humani : quae omnia notionem Messiae faciebant omnibus intelligibilem — **d**) inverosimile est divinitatem Christi excogitatam esse ad retrahendos gentiles a polytheismo : « Sonderbare Leute, ait BARDENHEWER, diese Griechen, welche sich eben erst vom Heidentum losgerungen haben, und alsogleich ihren neuen Glauben wieder in heidnischen Fesseln schlagen ! Haben diese Leute wirklich der Geschichte angehört » ? *(Bibl. Zeitschr.* 1905 p. 168).

Ergo gratuitum est fundamentum adversariorum Christum non potuisse haberi Filium Dei naturalem nisi tractu temporis consequenter ad evolutionem doctrinalem.

2° POSITIVE : **A**) Verum quidem est appellationem « F. D. », etiam in scriptis evangelistarum, *aliquando non* posse probari habere sensum *plus quam messianicum* : v. gr.: **a**) in ore diaboli tentantis Christum (*Matt.* IV et *Luc.* IV. — **b**) in ore daemoniorum expulsorum a Christo : modo eum vocant « sanctum Dei » *Marc.* I. 24, *Luc.* IV. 24) modo « Filium Dei » *(Marc.* V. 7 ; *Luc.* VIII. 28, *Matth.* VIII. 29 + *Marc.* III. 11, coll. cum *Luc.* IV. 41) quod ipse *S. Lucas* interpatur de Messia : « Exibant daemonia a multis clamantia... quia tu es F. D. et increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum (IV. 41) — **c**) in ore Nathanaelis primum agnoscentis Christum *(Joan.* I. 49 coll. cum 41 et 45. — **d**) in ore discipulorum stupentium — nondum intelligentium : « erat enim cor eorum obcaecatum » (*Marc.* VI. 52) — quando, sedata tempestate, « adorant eum dicentes : Vere filius Dei es » *Matth.* XIV. 33) — **e**) in ore centurionis quem *S. Matth.* (XXVII. 54) et *S. Marc.* (XV. 34) inducunt dicentem : « F. D. erat », *S. Lucas* autem (XXIII. 47) « justus erat ». — **f**) in ore S. Petri, *S. Marc.* (VIII. 29) et *S. Lucas.* (IX. 20) non ponunt nisi : « Tu es Christus, Christus Dei » ubi *S. Matth.* (XVI. 16) addit : « F. D. vivi » quod idem (v. 20) non videtur interpretari nisi de « Christo » — (De hoc loco cf. infra **B.**) — **g**) in ore S. Lucae, qui *(Act.* IX. 20. 22) videtur indifferenter dicere « praedicare Jesum quoniam est F. D. » vel « affirmare quoniam hic est Christus. »

N. B. Probabile est, etiam iis in locis, scriptores intellexisse Filium Dei naturalem ; formulae enim « Christus », « F. D. » etc., quia idem suppositum designabant, tanquam synonymae adhibebantur — Addi potest non paucos eorum, qui, vivente Christo, de eo tanquam Filio Dei locuti sunt, usurpare potuisse formulam, quam auditam at non plene intellectam recitabant ; sic v. gr. Caïphas *(Marc.* XIV. 61-62).

B) At ex iisdem constat illud Christi nomen, praesertim *ubi ab ipso usurpatur aut probatur,* habere *significationem pleniorem et sublimiorem,* nam ipse de sua divina filiatione ita loquitur ut — etsi paulatim et caute propter varia motiva (cf. LEBRETON : *Etudes* mars 1908, p. 723 et 735 ; LEPIN : *Jésus, Messie et Fils de Dieu,* p. 266-267) — eam naturalem esse suggerat : **a**) ab infantia ad crucem *Deum* ita *Patrem vocat,* illaque nomina « Pater et Filius » ita usurpat quasi sibi ac Deo propria ut, in formula v. gr. baptismali, Christus, qua Filius, Patri et Spiritui Sancto omnino aequiparetur. — **b**) *filiationem suam accurate distinguit* a filiatione ceterorum Deo dilectorum ; videtur affectare dicere « meum » vel « vestrum » Patrem, at nunquam « nostrum » *(Math.* XXV. 34 ; XXVI. 29 ; *Luc.* XXIV. 49 etc.). Cf. LEPIN : *op. cit. cp.,* IV ; LEBRETON : *Etudes,* mars 1908, p. 746 ; *les Origines,* p. 242. — **c**) *qua Filius, praeeminentiam habet prae angelis (Marc.* XIII. 32), dum ejus discipuli erunt filii Dei ad summum ad modum angelorum *(Luc.* XX. 36). — **d**) in celebri exclamatione de mutua Patris et Filii cognitione, *se, qua Filium, dicit tam ineffabilem quam ipse Pater,* seque tam intime cognoscere Patrem quam ipse a Patre cognoscitur. *(Math.* XI. 27 ; *Luc.* X. 22). — **e**) in parabola vinicolarum *(Math.* XXI et parall.) *se, ut filium Patris naturalem, opponit eis qui non fuerunt nisi Dei legati.* — **f**) in approbatione et praemiatione solemnis *confessionis Petri,* eam, quam laudat, sui agnitionem ita extollit et *tribuit revelationi divinae* ut non possit esse mera agnitio functionis suae messianicae *(Math.* XVI). — **g**) coram Caïpha *(Luc.* XXII. 67-71 et parall.), cum se « Filium Dei » profitetur, non accusaretur blasphemiae, nisi sua filiatione significaret eam cum Deo aequalitatem propter quam, ait S. Joannes, Judaei voluerunt eum interficere *(Joan.* V. 18 ; X. 31-33. 39 ; XIX. 7.)

Corollarium : Ergo ea loca evangeliorum unde potissimum hauriuntur objectiones contra divinitatem Christi, v. gr. a) ubi se fatetur Dei legatum *(Luc.* XX. 11. 29) — b) ubi divina potestas faciendi v. gr. miracula videtur ei non competere nisi ad mensuram ita ut vel non possit facere miracula *(Marc.* VI. 5-6) vel ea faciat inscius *(Luc.* VIII. 45) aut paulatim tantum *(Marc.* VIII. 22-26). — c) ubi se non vult dici bonum bonitate quae Dei propria est *(Marc.* X. 18 et parall.) — d) ubi se dicit nescire diem judicii — e) ubi se queritur a Deo derelictum, etc... — ea loca, inquam, audienda sunt de altera ejus natura, humana scilicet, ratione cujus scimus eos, qui, sicut v. gr. S. Paulus, eum habent ut proprie Deum, tribuere illi infirmitates nostras et veram Deo Patri subordinationem. — Ceterum pleraque explicantur ex intentione sive audientium sive loquentis.

§ IV. TESTIMONIUM ECCLESIAE ANTENICENAE.

THESIS XII. — Christum Ecclesia antenicena ita professa est esse proprie Deum ut eum jam haberet Filium Patri consubstantialem.

I. PARS : Christum professa est esse proprie Deum, ut constat :

1. Ex eo quod Christus **vocatur Deus,** v. gr. a) a S. IGNATIO : *Ephes. Inscr.* et I. 1 ; VII. 2 ; XVIII. 2 ; XIX. 3 ; *Trall.* VII 1 ; *Rom. Inscr.* et III. 3 ; VI. 3 ; *Smyrn.* I. 1 ; X. 1 ; *ad Polyc.* VIII. 3. (R. J. 39, 42, 52, 62) — b) a *Ps. Barnaba* V. 5 et XII. 10 (R. J. 31, 35) — c) a *Ps. Clem.* II. *Cor.* I. 1. (R. J. 101) — d) ab ARISTIDE : *Apol.* XV (R. J. 112) etc. etc.

2. Ex eo quod **colitur ut Deus,** ut constat : a) *formulis liturgicis* in quibus invocatur aut glorificatur, v. gr. formula baptismali, oratione eucharistica (JUSTIN. I *Apol.* 65-66), hymno qui dicitur vespertinus graecorum (R.J.108) — b) *testimoniis paganorum,* v. gr. PLINII *epist. ad Traj.* (K. 24) ; HADRIANI imperatoris *epist. ad Servianum* (K. 32) ; LUCIANI, *de morte Peregrini,* 13 cf. 11 ; in genere exprobrantium christianis quod Christum colant ut Deum : JUSTIN. I *Apol.* 13. 21. 22 ; *Origenes cont. Cels.* VIII. 12-14 — c) *testimoniis christianorum, v. gr.* auctorum *martyr. Polyc.* (XVII. 2-3 ap. R. J. 81), ubi ratio datur cur Christum adorent, martyres vero honori tantum habeant.

Nec dicas : α) etiam angelos recenseri inter eos qui a christianis coluntur (JUSTIN. I *Apol.*VI ; ATHENAG.*Legat.*X), nam his in locis duo isti auctores, cum atheismi accusationem tantum repellere intendant, recensent « ad hominem » quot habeant sibi cultos, ex persuasione gentilium, « deos », loco eorum νομιζομένων θεῶν quorum se profitentur atheos : non intendunt determinare quo in sensu angeli a se colantur (cf. MARANI explicat. in *praef. ad S. Justin. opp.* M. 6. 41-43) — β) Christum, ex ORIGENE *(De oratione.* 15-16 M. 11, 464 sqq.), non esse orandum, nam ipse Origenes principium solutionis dat ubi ait « ipsum Verbum posse orari, si modo propriam precationis — προσευχῆς — possimus ab impropria secernere notionem » (*cont. Cels.* V. 4. M. 11, 1185 B). Proprie dicta oratio — προσευχή — ad solum Deum qui est super omnia — etiam super Christum — terminari debet ; at ipse Christus etiam potest orari ut ipse deferat precationes nostras ad Deum Patrem (cf. *Cont. Cels.* V. 4. 11 ; VIII. 13. 26 ; *in Ezechiel. hom.* XII. 5 ; *in Luc. hom.* XV. ubi ipse orat vel invitat orare Christum.) — De hac quaestione, cf. HUETII *Origeniana*.l.11. *cap.* II. 9. 11. 29. (M. 17. 790) cum nota 20 a D. MARAN addita ; — P. PRAT.: *Origène,* p. 60 ; — DE RÉGNON : *Etudes sur la Trinité,* t. I, p. 495.

3° Ex eo quod **Redemptio** a Christo facta — quod est fundamentum totius spei christianae, ut recte dicitur initio II *Clem. Cor.* I. 1-2 — habetur ut **opus divinum** : « regere Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo » *(Act.*XX,28) ; « expectantes adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri J. C. qui dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret » *(Tit.* 11. 13 cf. II *Petr.* I. 1) ; « ad vitam revocati per sanguinem Dei » (IGNAT. *Ephes.* I. 1) ; « concedite mihi imitatorem esse passionis Dei mei » (IGNAT. *Rom.* VI. 3) ; « ὁ θεὸς πέπονθεν ὑπὸ δεξιᾶς Ἰσραηλίτιδος (MELITO SARD. M. 5. 1222 ; cf. OTTO : *Corp. Apolog.* t. IX, 416. p. 19) ; « empti sanguine Dei » (TERTULL. *ad uxorem* 11. 3) ; « passiones Dei, Deum crucifixum » (id. *de carne Christi* 5). — Uno verbo adeo persuasum omnibus erat Salvatorem mundi esse proprie Deum ut omnes haereses seculi secundi — gnostici, Marcion, monarchiani — hoc inconcussum dogma tenuerint aut exinde, sicut v. gr. patripassiani, ortum habuerint. Quod jam NOVATIANUS optime notabat : « Firmum est genus probationis, quod etiam ab adversario traditur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur. Nam usque adeo

hunc manifestum est in Scripturis esse Deum tradi, ut plerique haereticorum, divinitatis ipsius magnitudine et veritate commoti, ultra modum extendentes honores ejus, ausi sint non Filium, sed ipsum Deum Patrem promere vel putare. Quod, etsi contra Scripturarum veritatem est, tamen divinitatis Christi argumentum grande atque praecipuum est, qui usque adeo Deus, sed qua Filius Dei natus ex Deo, ut plerique illum, ut diximus, haeritici ita Deum acceperint ut, non Filium, sed Patrem pronontiandum putarint.. Alii quoque haeretici usque adeo manifestam amplexati sunt divinitatem ut dixerint illum fuisse sine carne, .. ut illum, subtracto homine, tantummodo putarint Deum » *(De Trinitate.* 23 M. 3, 931-952).

4° Ex **damnata** a Rom. Pont. Victore **haeresi adoptianistarum** statim ac prodiit illa « ἀρνησίθεος ἀποστασία », ut ait auctor libelli *contra Artemonem* (sec. 3), recensendo antiquorum opera in quibus « θεολολεῖται ὁ χριστός » et allegando « psalmos et cantica jam pridem a fratribus conscripta, quae τὸν λόγον τοῦ θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες ». (ap. Euseb. *H. E.* V. 28. M. 20, 112-113).

II. PARS : Ecclesia antenicena professa est Filium esse Patri consubstantialem.

Praenotanda : *Sensus assertionis* est, non quod Eccl. antenic. docuerit explicite doctrinam de consubstantialitate, qualis a Nic. conc. definita est : econtra, nonnulli scriptores hujus aetatis « nondum perfecte de Trinitate sentientes » (August. in ps. LIV. 22), cum altissimum mysterium suscepissent sive explicandum sive contra varios errores tuendum, non paucas ediderunt formulas vel consectaria duxerunt, quae consubstantialitati non parum contradicunt. Quod quibus causis sit tribuendum quove modo explicandum in scholio post thesim aliquatenus dicetur.

At sensus assertionis est Ecclesiam anteniccnam, prout ex iisdem aut aliis scriptoribus judicare licet, *explicite tenuisse eum complexum doctrinalem quem*, ratione sui ac ratione oppositionis suae totalis praecipuis arianismi assertis, *jure dicas consubstantialitatis :* Deum scilicet esse stricte unum ; Filium tamen esse proprie Deum divinitate a Patre per processionem communicata, ita ut non fuerit unquam ubi Filius Patri non fuerit.

Probatur : 1° Ex *stricto monotheismo* quem tum contra gentiles polytheistas tum una cum Judaeis, — quibus tamen ingerebat Filium esse Deum — semper professa est : a) S. Justinus, ex una parte, ait Judaeis : « Non alius unquam erit Deus, nec alius a seculo exstitit praeter eum qui hanc universitatem fecit ac disposuit. Neque alium nobis, alium vobis Deum esse ducimus, sed ipsum illum qui patres vestros eduxit de terra Aegypti... Neque in alium quemquam speramus sed in eum in quem et vos » *(Dial.* 11. M. 6, 498). Imo, teste S. Irenaeo, in *libro contro Marcionem* dicebat : « Neque ipsi Domino credidissem alterum Deum annuntianti praeter fabricatorem et factorem nostrum » *(adv. Haer.* IV. 6, 2 M. 7, 987). — Ex alia vero parte, quod assumit probandum contra Tryphonem est Deum

dici ac esse aliquem qui est alius a Deo Patre : « Demonstra nobis ὅτι ἕτερος θεὸς παρὰ τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων agnoscitur a Spiritu prophetico » (*Dial.* 55). « Persuadere vobis conabor hunc ipsuum, qui Abrahae et Jacob et Moysi visus esse dicitur ac Deus a Scriptura vocatur, alium esse ab eo qui omnia creavit Deo, alium, inquam,numero » *(Dial.* 56. M. 599 C. et cf. 601 A-B : ἄλλος τις κυριολογεῖται).

b) S. Irenaeus in suo *adv. Haeres.* totus est in probando contra dualistas quod « nemo alius Deus nominatur, aut Dominus appellatur, nisi qui est omnium Deus et Dominus, qui et Moysi dixit : Ego sum qui sum... et ejus Filius Jesus Christus Dominus noster qui filios Dei facit credentes in nomen suum » (III. 6, 2 M. 7, 861 et alibi passim).

c) Tertullianus, impugnando monarchianismum Praxeae, dolet quidem (III) « simplices quosque », quia « regula fidei [eos] a pluribus diis seculi ad unicum et Deum verum transtulit expavescere ad oeconomiam quae unitatem in trinitatem disponit » ideoque propendere ad monarchianismum, at « judaïcae fidei » ascribit, quod quis « sic unum Deum credat ut Filium adnumerare ei nolit » (XXXI).

2° Ex modo quo explicant *relationem Filii ad Patrem,* dicendo scilicet eum *genitum* esse ex ipsa Patris substantia ita ut sint *inseparabiles* nec unquam fuerit ubi Pater non esset Pater, v. g.

a) S. Justinus, jam in sua I *Apol.,* docet « Jesum Christum solum esse proprie filium Deo genitum » quia « est ejus verbum, et primogenitus et virtus » (XXIII) ; advertit pariter judaeos ideo errare atque reprehensos esse ab Isaïa et Christo quia nolunt agnoscere Filium in eo quem tamen « docent carentem nomine Deum cum Moyse collocutum esse.... Patrem igitur universorum judaei semper cum Moyse collocutum existimantes, cum is qui locutus est Filius Dei esset, merito arguuntur quod nec Patrem nec Filium noverint. Nam qui Filium Patrem esse dicunt, hi arguuntur quod nec Patrem sciant, nec Filium esse universorum Patri cognoscant. Qui, cum Verbum sit primogenitum Dei, Deus est » (LXIII M. C. 423 A et 426 A). Quae postea repetit et explicat in *Dialogo,* affirmando « Deum ante omnes res creatas genuisse ex seipso virtutem quamdam rationalem, quae nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Angelus, nunc Deus, nunc Dominus et Verbum a Spiritu Sancto vocatur » (LXI. M. 613. C.) Hanc autem generationem comparat generationi tum sermonis nostri qui, dum profertur, non minuit sermonem internum, tum ignis qui ex alio igne accenditur quin alius minuatur *(ibid.* 616 A) ita ut, contra *modalistas,* qui volunt theophanias Vet. Ti non esse nisi varias unius ejusdemque personae Patris manifestationes, ipse tueatur « eam virtutem, quam propheticus sermo Deum dicit, esse distinctam quidem a Patre non tantum nomine, sicut lux a sole, sed etiam numero aliud quid esse » at « gigni ex Patre, non per abscissionem, quasi Patris substantia divideretur..., sed ad modum ignis ex quo ignes videmus accendi alios, non imminuto illo ex quo multi accendi possunt, sed eodem manente ». (CXXVIII.

M. 775). Uno verbo, confirmat, « duo sunt numero » Pater et Filius ita ut unus alteri sit « Dominus, quatenus Pater est et Deus et ei causa est cur sit et potens et Dominus et Deus ». (CXXIX. M. 777 A).

b) ATHENAGORAS, in sua *Legatione pro christianis*, ad amovendam analogiam, quae videri posset, inter poetas de diis fabulantes et christianos « agnoscentes et Dei Filium », has explicationes addit : « Filius Dei est Verbum Patris in idea et operatione ; ad eum enim et per eum omnia facta sunt, cum Pater et Filius unum sint. Cum autem Pater sit in Filio et Filius in Patre, unitate et virtute spiritus, mens et Verbum Patris est Dei Filius. Quod si vobis, pro summa vestra diligentia, inquirere subeat quid sibi velit Filius, dicam breviter primam esse Patris progeniem, non quod factus sit (ab aeterno enim Deus habebat in seipso Verbum, utpote ab aeterno rationalis), sed quod prodierit, ut omnium materialium rerum.... idea et actus foret ». (10. M. 6, 908-910 : cf. 12 et 24 ibid. 914 et 946.

c) S. IRENAEUS, in sua *Demonstratione praedicationis apostol.*, dicit ideo « per Verbum omnia facta esse quia Deus est ens rationale » (5) ; Verbum autem est « Dei filius aeternus » (10), qui « praeexistebat apud Patrem, ante omnem creationem genitus » (30) ; « Dominus proinde est Pater ac Dominus Filius, et Deus Pater ac Deus Filius, nam genitus ex Deo Deus est ; propterea, quoad suum esse et quoad virtutem suae essentiae, agnoscendus est unus Deus, quoad oeconomiam autem salutis nostrae tam Filius quam Pater » (47). Eamdem doctrinam uberius exponit contra dualistam emanatismum in suo *Adv. Haer.* Ideo « Pater, qui solus est mundi fabricator, omnia fecit per semetipsum, hoc est, per Verbum et Sapientiam suam » [= Sp. S.] quia « Filius erat semper coexistens Patri » (II. 30, 9). « Adest enim ei semper Verbum et Sapientia, Filius et Spiritus, per quos et in quibus omnia fecit » (IV. 20, 1). Ratio praeterea cur « solus Pater cum Verbo suo juste dicatur Deus et Dominus » est quia ipse « omnia fecit » ; ea vero « quae facta sunt, non ejusdem vocabuli participabilia sunt, neque juste id vocabulum sumere debent, quod est Creatoris » (III. 8, 3). Nunc autem ideo Deus per Filium manifestatus est quia Filius « est in Patre et habet in se Patrem » (III. 6, 2) seu, ut ait quidam ab Irenaeo laudatus, « immensus Pater in Filio mensuratur, quia mensura Patris Filius, quoniam capit eum » (IV. 4, 2) etc. etc. (De consubstantialitate apud. S. Irenaeum, cf. apud Dom MASSUET, *Dissert.* III, a. 5 M. 7. 293 sqq.).

d) TERTULLIANI doctrina de consubstantialitate tota est in ejus *Adv. Praxeam* : quod lege vel cf. R. J. 371-379).

e) S. HIPPOLYTUS in *fragm. cont. Noet.* (M. 10. 817 vel R. J. 391 sqq.) et *Philosophum.* X. 33 (M. 163. 3447 sqq. R. J. 398).

f) NOVATIANI *De Trinitate* formulas jam nostras habet (M. 3. 890 sq. vel R. J. 603-608).

g) ORIGENES (περὶ ἀρχῶν. I. 2, 2) explicat his verbis quo sensu Filius Dei dicatur ejus Sapientia : « Nemo putet aliquid non insubstantivum dicere cum eum Dei sapientiam nominamus, id est, ut exempli causa

finxerim, quod eum non velut animal quoddam sapiens, sed rem aliquam quae sapientes efficiat, intelligamus, praebentem se et mentibus inserentem eorum qui capaces virtutum ejus atque intelligentiae fiunt. Si ergo semel recte receptum est unigenitum Filium Dei sapientiam ejus esse substantialiter subsistentem, nescio si jam ultra evagari sensus noster debeat ad suspicandum ne forte ipsa ὑπόστασις, id est substantia ejus, corporeum aliquid habeat ». Postea haec addit de tempore generationis illius : « Quomodo extra hujus Sapientiae generationem fuisse aliquando Deum Patrem, vel ad punctum momenti alicujus, quis potest sentire vel credere, qui tamen pium aliquid de Deo intelligere noverit, vel sentire !... Nos semper Deum Patrem novimus unigeniti Filii sui, ex ipso quidem nati, et quod est ab ipso trahentis, sine ullo tamen initio, non solum eo quod aliquibus temporis spatiis distingui potest, sed ne illo quidem quod sola apud semetipsam mens intueri solet » (M. 11. 130-131).

Et cf. *ibid.* IV. 28 (M. 401-402 vel R. J 470) quomodo neget « fuisse aliquando ubi non fuerit », quod et in fragmento ejus a S. Athanasio (*De decret. Nic. syn.* 27) recitato repetit, rationem dans quia « dicere : Fuit aliquando cum non esset Filius, idem est ac dicere : Sapientia aliquando non erat » (M. 25. 466). Cf. etiam *cont. Celsum.* VIII. 12. Quod autem genitus sit Filius ὁμοούσιος, rationem dat quia genitus est ἐκ τῆς ὑσίας τοῦ Πατρός » *(Schol. in Math.* XXVIII. 18. M. 17, 309). De doctrina Origenis circa hoc, cf. Prat. *Origène* p. XX-XXIII et 28-67.

h) Theognosti fragm. ap. Athanas. *de decret. Nic. syn.* 25 ; cf. apud R. J. 545.

i) Gregorii Thaumaturgi *expositio fidei* (M. 46. 912-913 vel R. J. 611) jam praeludit symbolo niceno.

3° Ex *damnatis erroribus* qui aut *ditheismum* aut *monarchianismum* vel minime sapiebant.

a) Rom. Pont. Zephyrinus (199-217) Theodoti adoptianismo opponebat : « Ego novi unum Deum Christum Jesum et praeter eum nullum alium genitum et passibilem » ; Monarchianis ex alia parte patropassianis opponebat : « Non Pater mortuus est sed Filius » (Ex Hippolyti *Philosoph.* IX. 11 (M. 16³. 3379 A)) Idem vero simul Hippolytum, quia Filium nimis subordinabat, damnabat ut « ditheistam » (*ibid.*)

b) Callixtus (217-222) « ditheistas » pariter impugnans et asserens « οὐκ ἄλλο εἶναι Πατέρα, ἄλλο δὲ Υἱόν, ἓν δὲ καὶ τὸ αὐτὸ ὑπάρχειν, » tamen Sabellium ejecit de Ecclesia nec unquam voluit dicere Patrem passum esse et unam esse personam cum Filio. (*Ibid.* Cf. d'Alès : *la théologie de St Hippolyte* p. 8-20. Textus sunt apud M. 16³, 3442 vel K. 204).

c) S. Dionysius (254-268), cum audisset S. Dionysium Alexandr. nimis distinguere Filium a Patre, explicationes rogavit ipseque doctrinam consubstantialitatis exposuit ; quam et ipse Alexandrinus suam esse demonstravit. (D. B. 48-51 et R. J. 609-610.

d) Conc. Antiochenum (269) in Paulo Samosatensi damnavit simul

et Christum esse merum hominem et Christum esse hoc sensu Patri ὁμοούσιον quod vel unica cum eo esset persona (sic explicat S. Hilarius : *de synodis* 81) vel participaret cum eo unam specifice substantiam (sic explicant S. Athanasius : *De synodis* 43 et S. Basilius : *Epist.* LII. 1.)

Corollarium : *Ariana haeresis*, cum tota sit in asserendo de Filio Dei quod « fuit aliquando ubi non erat ; antequam nasceretur non erat ; filius est, non quia ex Deo natus, sed quia creatus et adoptatus ; de non exstantibus factus est ; non est ὁμοούσιος hoc sensu quod sit ἐκ τῆς οὐσίας Patris, » non derivatur proinde ex doctrina scriptorum ecclesiasticorum seculi secundi et tertii. Novam econtra se prodit, et proavos habet illos adoptianistas quos impugnabant Tertullianus, Hippolytus, Origenes, Patres Antiochenae synodi, etc. Econtra orthodoxi, etsi vocem ὁμοούσιον vix auditam antea habebant, antiquam tamen in ea fidem agnoscebant : « Testor Deum coeli atque terrae, scribebat S. Hilarius, me cum neutrum audissem, semper tamen utrumque sensisse, quod per homoousion homoeousion oporteret intelligi, id est, nihil simile sibi secundum naturam, nisi quod esset ex eadem natura. Regeneratus pridem, et in episcopatu aliquantisper manens, fidem Nicenam nunquam nisi exsulaturus audivi : sed mihi homousii et homoeusii intelligentiam Evangelia et Apostoli intimaverunt » *(De synodis*, q. 1. M. 10. 545. Cf. *De Trinitate*, VI. 18-22. M. 10. 170-173.)

Scholion : *De theologia scriptorum antenicenorum.* — 1°) Distinctio quam nunc facimus inter fidem Ecclesiae communem et theologiam scriptorum ecclesiasticorum non erat inaudita tempori anteniceno : cf. v. gr. S. Irenaei *Haeres.* I. 10 ; Tertull. : *de praescript.* 13-14 ; Origenes : Περὶ ἀρχῶν. I. *Prooem.* 3 sqq. Eam probavit jam S. Augustinus *(in ps.* LIV 22 (M. 36, 634) ; *de Civitate Dei* XVI. 2 ; *de bono perseverantiae.* 11, 20) ; ea usi sunt Bossuet (1e *Avertissement aux protestants*, 21 et 6e *avertissement*, 1e *partie*) ; Petavius *(De Trinitate, praef.* I. 10) ; D. Maran *(Praef. ad apologet.* editionem p. 11. n 4 ap. M. P. G. 6. 103). In praesenti quaestione maximi est momenti, cum antenicenorum multi scriptorum auctoritatem habeant, ut testes quidem magnam, ut doctores vero parvam aut nullam : tot enim inter eos fuerunt ex aliquo capite haeretici aut schismatici. Facilis praeterea est, cum ipsi aliter fidem communem referant, aliter propriam doctrinam exponant, v. gr. Athenag. *Leg.* X ; Justin. *Dial.* 48.

2°) De integritate doctrinali scriptorum antenicenorum circa divinitatem Christi aut potius de mutua Patris et Filii relatione non eadem est omnium etiam catholicorum sententia (cf. v. gr. Franzelin : *De Deo trino thes.* X et XI ; Duchesne : *Les témoins anténicéens du dogme de la Trinité* in *Rev. des sc. eccl.* XLVI (1882) ; Petavius : *De Trinitate*, l. I, cf. III-V et *praefatio.)*

3°) Ad recte judicandum de his advertendum est : a) scriptores illos fere semper prosequi scopum apologeticum et quidem ad eos « qui sunt foris » ideoque non proponere nisi eas res quae philosophice cogitantibus

ethnicis admitti possunt ; — b) controversiam eosdem simul habere cum adversariis, v. gr. Judaeis, monarchianis, adoptianistes, etc., quorum alii aliud caput dogmatis pervertunt. Hinc necessitas divinitatem Christi ita exponendi ut Judaeo tamen aut monarchiano non videatur induci ditheismus, vel Filii a Patre distinctionem asserendi quin, sicut fit apud gnosticis, appareat inter eos independentia aut oppositio ; — c) tandem aliquos modos loquendi hujus temporis perseverasse etiam apud quosdam Patres postnicenos qui certe sunt orthodoxi : cf. exempla apud PETAV. *loc. cit. praef.* cp. III, 7.

His praemissis duae praesertim species formularum « male sonantium » referuntur et judicantur :

A) *Formulae quae videntur Verbi generationem asserere temporalem.* — Praenotato originem Verbi intellectam esse semper ut generationem et quidem ex ipso Deo, non ex non-ente, — cf. supra -- nunquam ut creationem, tamen fatendum est apologetas, forte sub influxu philosophorum qui tunc λόγον communiter ad mundum referebant (cf. TERTULL. *Apologet.* XXI), ita Verbi generationem cum mundi creatione connexuisse, ut, inducta distinctione inter Verbum insitum (ἐνδιάθετον) et prolatum (προφορικόν), generationem ejus videantur non intellexisse *perfectam* nisi quando Verbum, Deo ab aeterno *inexistens*, libere in operanda creatione manifestatum est : v. gr. JUSTIN. II *Apol.* 6 ; *Dial.* 61, 62 ; TATIAN. *Or.* 5 ; ATHENAG. *Leg.* 5 ; THEOPH. *ad Autol.* 11, 22 ; TERTULL. *adv. Prax.* 5. 7. ; HIPPOLYT. *adv. Noet.* 10 ; NOVATIAN. *de Trinitate.* 31.

Eo igitur redit tota disputatio, quid sit Verbum **insitum**, quid **prolatum ;** utrum scilicet Verb. *insitum* ideoque aeternum seu Patre coaeternum sit personalitate propria donatum an tantam mens ipsa Dei, ita ut personalitatem distinctam non acquirat nisi quando profertur in creatione. — Duae datae sunt solutiones : a) Verbum *insitum* jam est **persona** a P. distincta ; prolatio ejus non est nisi ejus **manifestatio** sive descensio creaturas : sic BULLUS *(Def. fid. Nic.)* ; BOSSUET (1° *Avertiss. aux prot.* n. 7. q. 25. 28 ; 6° *Advert.* n. 65-75 ; 82 sqq.) ; MARAN (nota ad JUSTINI *Dial.* 61 et 128 et ad TATIANI *Or. adv. Gr.* 57 et praesertim in suo opere : *Divinitas J. C. manifesta in Scripturis et traditione.*) — b) Verb. *insitum* est **ratio divina** a P. **non distincta ;** *prolatio* est **generatio** proprie dicta (PETAV. *De Trinit.* l. I. 3, 6 ; 5, 2 ; VI. 9, 1 ; NEWMAN ; DUCHESNE). — Forte neutra solutio satisfacit omnibus locis dubiis et melius dicas cum d'ALÈS *(Théol. de Tertullien* p. 89-93) auctores illos agnoscere quidem personalitatem Verbi esse totam ex ejus a Patre processione, quae, initium habens ante creationem, non definitive perfecta est nisi occasione creationis (sic TERTULL. *adv. Praxeam* 6-7), non eos tamen affirmare explicite generationem aeternam, quam tamen certae aliquorum formulae insinuant. Uno verbo de statu Verbi in sinu Patris pauca et obscura habent.

B) *Formulae quae naturam Filii videntur dicere aliam a natura Patris eaque inferiorem*, v. gr. JUSTIN. I *Apol.* 13 ; II. 13 ; *Dial.* 61. 129 ; THEOPH. *ad*

Autol. II. 10 ; IREN. *Haeres.* III. 8, 3 ; 6, 1 ; V. 18, 2-3 ; TERTULL. *adv. Prax.* 9. 12-14 ; ORIGENES : Περὶ ἀρχῶν. IV. 35 ; *de Orat.* 26.

De his haec observanda veniunt. — 1° Quoad ea **quae respiciunt habitudinem intrinsecam personarum :** a) *Nomen Dei* saepe reservatur Patri tanquam principio divinitatis ; b) F. dicitur Deus *secundo loco*, Sp. S. *tertio loco* ordine originis : his enim ostendere nituntur distinctionem personarum ; c) Filius *minor* Patre = origine posterior, quae est interpretatio etiam multis postnicenis familiaris (cf. DE RÉGNON : *Etudes sur la Trinité*, t. III, p. 166-172) ; d) Filius est derivatio *totius* et *portio*, dum Pater dicitur tota substantia = participatio totius substantiae per derivationem ; e) Pater Ποιητὴς Υἱοῦ, F. ποίημα significat : P. = principium ; F = principiatus, ut explicat S. DIONYS. Alexandr. citatus a S. ATHANAS. *(de sent. Dionys.* 21 M. 25, 511) ; et *n. b.* ipsum ALEXANDRUM Alexandr. in sua *epist. cont. Arium* adhuc vocare ineffabilem Filii originem γένεσιν καὶ ποίησιν (M. 18, 553). d) P. Filium *voluntarie* genuit = non invitus, ut volebant gnostici de generatione suorum Aeonum ac de creatione.

2° Quoad ea quae respiciunt eorum **habitudinem in opp. ad extra :** a) D. P. creat *per* Verb. et Sp. S. = operatio, sicut essentia, derivatur a P. et communicatur Filio et Sp. S.; b) eodem sensu intelligendus est P. *mandare* Filio, F. ministrare, obedire (cf. DE RÉGNON : *loc cit.* p. 172-176 et *n. b.* hic praemissum ; c) quoad theophanias : dicunt Patrem invisibilem, immensum, supereminentem manifestari non posse per seipsum sed per F., qui potest fieri visibilis et loco circumscribi, sed hoc dicunt sive quia respiciunt proprietates personales utriusque personae (F. est imago, manifestatio Patris) sive quia, putando theophanias factas esse per *missiones*, Patrem jure tenent, propterea quod est principium, non posse mitti. — Ceterum etiam ii qui ita loquuntur *non excludunt invisibilitatem essentialem* Verbi, ut videre est apud IREN. *Haeres* : IV.20, 9 ; 24, 9 ; 6, 3-6, ubi rationes dat quia, etsi uterque est ineffabilis, tamen, cum « agnitio Patris sit manifestatio Filii » (3) et « Filius revelet agnitionem Patris per suam manifestationem » (3), jure dici potest : « Invisibile Filii Pater est, visibile autem Patris Filius » (6).

ARTICULUS III.

DE UNIONE DUARUM NATURARUM.

Haec quaestio, de qua fuerunt tres maximae haereses christologicae, Nestorianismus, Monophysismus, Monothelismus, definita est in tribus conciliis oecumenicis, 3° (EPHESINO, 431), 4° (CHALCEDONENSI, 451), 6° (CONSTANTINOPOLITANO III°, 681) — Seriem factorum videas in Historiis ecclesiasticis — apud HEFELE : *Hist. des conciles* — apud JUNGMANN : *Dissertationes selectae in Hist. Eccl.* T. II. *Diss.* 9ª-12ª et melius apud TIXE-

RONT : *Hist. des dogmes* t. III. — Hic sufficiat aliqua notare quae connexionem historicam ostendant.

I. **DE NESTORIANISMO** : (cf., praeter praedicta, Mahé S. J. *art. Cyrille d'Alexandrie* ap. Vacant.) Anno **431** in concilio Ephesino Nestorius damnatur ; at non pauci episcopi Orientales, in primis Joannes Antiochenus et Theodoretus Cyrensis, etsi Nestorium non omnino sequuntur, damnant tamen S. Cyrillum Alexandrinum, cujus anathematismi apollinarismum aut monophysismum jam eis sapiunt. — **433** Joannes Antiochenus et S. Cyrillus consentiunt de *symbolo* quod dicitur *unionis* : cf. in *Dict. theol. cath. art. Cyrille d'Alexandrie* col. 2511. — At non pauci amici S. Cyrilli eum defuisse tunc verae doctrinae contendunt. — **433-440.** Edicta imperatoris contra Nestorium ejusque libros et fautores : Theodoretus Cyrensis plus minusve reconciliatur.

II. De **MONOPHYSISMO** : Oritur ex reactione contra Nestorianismum.

a) *Primi auctores et fautores* : Constantinopoli, **Eutyches** presbyter et archimandrita..; Alexandriae, **Dioscorus** olim archidiaconus S. Cyrilli, ejus assessor Ephesi, successor ejus anno 444.

b) *Facta :* **448** : Eutyches damnatur et deponitur in synodo Cplano a suo episcopo Flaviano — Invocat S. Leonem, Dioscorum et imperatorem. **449** : « Latrocinium Ephesinum », praeside Dioscoro, justificat Eutychetem, deponit Flavianum, et duos episcopos Nestorianismi suspectos, Ibam Edessanum et Thodoretum Cyrensem. — **450.** Moritur imperator Theodosius et succedit Marcianus cum Pulcheria. **451** Concilium Chalcedonense damnat Eutychetem et Dioscorum, admittit ut orthodoxos Ibam et Theodoretum.

III. **CONTROVERSIA DE TRIBUS CAPITULIS.**

a) *Occasio :* Vehementes impugnationes Monophysitarum contra conc. Chalcedon., quod contendunt Nestorianismo favisse quia non excluserit Ibam Edessenum, qui olim scripserat epistolam ad Marin episcopum persidem de orthodoxia Nestorii et Theodori Mopsuestani, et Theodoretum Cyrensem.

b) *Facta :* **482** imperator Zeno, ad fovendam adhaesionem concilio Chalcedonensi, edit suum *Henoticon*, ubi, damnatis simul Nestorio et Eutychete, excludit tamen aliud symbolum ac Niceno-Constantinopolitanum, proindeque, quin dicat unam duasve naturas, rejicit epistolam dogmaticam S. Leonis ad Flavianum et concil. — **484-519.** Hinc schisma orientale, quod dicitur Acatii, episcopi Constantinopolitani. — **519.** Unio restituitur, subscribentibus episcopis orientalibus orthodoxis formulae papae Hormisdae(D.B.171).**544.** Imperator Justinianus, spe reconciliandi monophysitas, edictum dat, quo, confirmato concilio Chalcedonensi, tamen anathema dicit *tribus*, quae dicuntur, *capitulis*, id est, scriptis trium, quos Monophysitae semper impugnaverunt, Theodori Mopsuestani, Theodoreti Cyrensis, Ibae Edessani.

548. Papa Vigilius cogitur, Constantinopoli, edere suum *judicatum*, quo, renitente Occidente, edictum Justianiani confirmat. **550.** Convocatur concilium Constantinopolitanum in quo controversia orto in Occidente de *judicato* Vigilii dirimatur.— **553.**Concilium Constantinopolitanum — contradicente Vigilio et absentibus Occidentalibus episcopis — condemnat « Tria capitula ». At interim, **Vigilius** scribit Justiniano suam epistolam, quae dicitur *Constitutum*, ubi censet abstinendum esse a condemnatione. Postea vero Vigilius, inter exilium et persecutiones, edit *Constitutum Secundum* quo ipse et Tria capitula damnat et decreta concilii rata habet.

III. **MONOTHELISMUS.**

a) *Occasio :* Desiderium reconciliandi Monophysitas. Hinc enim facultas eis relinquitur, dummodo duas *quoad essentiam* distinctas naturas profiteantur, admittendi naturam humanam mere passivam esse, ita ut, etsi operationes Christi sint theandrici compositi, tamen natura divina sit unicum earum principium activum.

b) *Facta :* **634.** Sergius episc. Cplanus obtinet a R. P. Honorio duas epistolas quibus probatur silentium oeconomicum de unica an duplici operatione in Christo. **638.** Ser-

gius, mortuo Honorio, inducit imperatorem Heraclium ad publicandum edictum (= *Ecthesim* = expositionem fidei) quo prohibetur quidem disputatio de una vel duabus operationibus at simul dicitur Nestorianus omnis qui duas in X° praedicet voluntates. **648**. Formulam illam vehementer impugnatam a RR. PP. imperator Constans II confirmat edendo sum *Typum*.— **649**. R.P. Martinus I, in synode Romana, solemniter damnat *Ecthesim*, *Typum* et omnem doctrinam Monotheletarum — Propter quod S. P. Roma eductus Constantinopolim moritur in exilio.

681. Concilium Constantinopolitanum, favente restitutioni unitatis imperatore Constantino Pogonato, habitum, probat epistolam R. P. Agathonis (D. B. 288) et solemni sua definitione (289 sqq.) controversiis illis magnis de modo Incarnationis finem fecit.

§ I. DE UNIONE NATURARUM IN UNA PERSONA.

Praemittuntur aliquae notiones historicae et philosophicae.

1° **Notiones historicae** : A) *Occasio definitionis* illius dogmatis in concilio Ephesino (431) fuit controversia orta inter Nestorium et S. Cyrillum Alexandrinum. Nestorii doctrina nobis fere non innotescit nisi in fragmentis operum ejus quae recitant ejus adversarii. — Ea collecta a P. Garnier S. J. habes apud M. P. L. 48,767-905 et alio ordine digesta in opere edito a Loofs : *Nestoriana*. Posthumum Nestorii opus, quod in syriaca ex graeco versione servatum recens gallice edidit D. Nau : *Le livre d'Heraclide de Damas*, manifestat doctrinam Nestorii jamdiu damnati et affectantis conformitatem cum concilio Chalcedonensi.— (De hoc op. cf. notata a P. Peeters in *Anal. Bolland.* 1911, p. 356-360.)

Doctrinam Nestorii, ut quae induceret duas in Christo personas unione mere accidentali conjunctas, ita ut B. V. M. non fuisset vere θεοτόκος, impugnavit S. Cyrillus tum epistolis, tum delatione ad R. P. S. Coelestinum, tum, hujus auctoritate fretus, congregata Synodo Alexandrina et synodica epistola cum 12 anathematismis (D. B. 113 sqq.), tum variis operibus dogmaticis et polemicis, (M. 75 et 76), de quibus cf. Mahé in art. *Cyrille d'Alex.* in *Dictionn.*, Vacant Mangenot.— Eumdem damnavit conc. Ephesinum ubi probati sunt anathematismi S. Cyrilli.

B) *Nestorii defensores.* — **Olim,** suo sc. tempore, multi episcopi Orientales, qui, quin ejus doctrinam probarent, S. Cyrilli anathematismos vehementer tamen impugnarunt. **Nunc,** inde quidem a tempore Lutheri, at praesertim recentiori tempore, multi dogmatum historici, qui contendunt totam querelam fuisse de vocibus nec Nestorium damnatum esse nisi ad humiliandam ab episcopo Alexandrino Sedem Cplanam.

C) *Nestorianismi instauratores.* a) Adoptiani, de quibus alibi. — b) Medio aevo, ex aliquorum ignorantia (q. 2. a. 6). — c) Nostro tempore : Günther et discipuli ejus (P. 68), ex quibus unio non est realis et physica sed dynamica et moralis ; Rosmini (D. B. 1917), ex quo datur tantummodo unio subordinationis ; omnes liberales protestantes, rationalistae et modernistae — si quid curant de duarum naturarum conjunctione, cum divinitatem non admittant — qui divinitatem Christi reducunt ad merum influxum Dei in ejus humanam conscientiam.

2° **Notiones philosophicae** commemorandae sunt naturae — hypostasis — subsistentiae — personae.

N. B. ad recipiendam revelationem, ad faciendum actum fidei de illa, non requiritur sane haec accurata notio scientifica ; sufficit illa vulgaris quam omnes habent, quando dicunt : sumus hic multae personae et omnes habemus naturam humanam — vel quando attribuunt singulis personis suas actiones, sua membra, sua bona ; quando dicunt : Ego sum homo et Gabriel est angelus ; non habemus eamdem naturam. Sed, cum, ut patebit in sequentibus thesibus, definitiones Ecclesiae de duarum naturarum in Christo unione personali editae sint hoc praecise sensu reali nec ab ulla proprie philosophia mutuato, notiones illae omnino sunt retinendae, non tantum ut, pro temporis et loci psychologia, relative aptae ad determinandum negative quid sit de Christo sentiendum, sed etiam ut positive enuntiantes quid sit ontologice Christus. — Nec revera, ut experientia docet, ab ullo abjiciuntur quin vel agnosticismus inducatur vel unitas Christi solvatur. Cf. v. gr. tentamen Christologiae recentiorum sensu, quod ab eximio doctore anglicano tentatum refert P. de GRANDMAISON apud *Recherches de science religieuse*, 1911, p. 202-208.

THESIS XIII. — **Etsi verum est 1° controversiam Nestorianam valde exacerbatam esse ex contentione de primatu in Oriente inter Alexandriam et Constantinopolim ; 2° formulas ad enuntiandum dogma fuisse adhuc ita aequivocas, ut, pro contraria sollicitudine vitandi Apollinarismum vel Adoptianismum suspicionem facile moverent ; 3° attamen non Nestorii sed S. Cyrilli doctrina, quam definivit concilium Ephesinum, est juxta traditionem et Scripturam Sacram.**

I. PARS : Controversia Nestoriana valde exacerbata est ex contentione vigente inter Alexandriam et Constantinopolim.

1° *Facta in quibus apparet haec contentio* — **a**) Oppositio inter scholam theologicam Alexandrinam et Antiochenam. — **b**) Oppositio constans episcoporum Alexandrinorum Meletianis Antiochenis quibuscum econtra communicabant episc. Orientales. — **c**) Tentamen intrusionis in sedem Cp^lanam (380) Maximi Cynici, cui favebat Petrus Alexandrinus. **d**) Canones 1 et 2 concilii Cp^lani (381), quorum uno praecavetur exercitium auctoritatis episc. Alexandrini extra Aegyptum et altero extollitur praeeminentia Sedis Cp^lanae. Quod ultimum Romae improbatum occasionem praebuisse videtur illi decreto de Sedibus patriarcalibus — quod habes D. B. 163 — et quod multi adscribunt ipsi Damaso R. P. (366-384). — **e**) Depositio S. Joannis Chrysostomi a Theophilo Alexandrino in synodo « *ad Quercum* » (403). (Cf. Hefele t. II^1, p. 141 sqq) : cui concilio aderat Cyrillus Alexandrinus, qui, Theophili nepos et successor (412), noluit Chrysostomi nomen Ecclesiae suae diptycis inserere nisi anno 417 (cf. Mahé : art. cit. col. 2477). — **f**) Depositio Nestorii a Cyrillo Alexandrino in conc. Ephesino (431). — **g**) Depositio Flaviani Constantinopolitani a Dioscoro Alexandrino in « *latrocinio Ephesino* » (449).

2° *Indicia hujus contentionis in scriptis Nestorii.* — **a**) In epist. ad Joannem

Antiochenum ante conc. Ephes. : « De consueta vero ex Aegypto praesumptione maxime tua religiositas non debet admirari, dum habes antiqua hujus exempla perplurima » (Loofs : *Nestoriana* p. 186).

b) In sermone, quem habuit die post adventum legatorum Alexandrinorum deferentium epistolam synodicam conc. Alexandrini et anathemat. S. Cyrilli (13 x^bri 430), commemorat quoties Alexandrini episc. aggressi sint orientales : « Docuit me et Moyses non conturbari, siquidem experimentum acceperit prophetae praedicti Aegyptiaca desperatio. Nec beatum quondam Flavianum [Antiochenum], cum tyrannico spiritu epistolas mitteres ; nec eum, qui ante hunc inter sanctos numeratur, Meletium [Antioch.] perturbasti. Tu quae habes et donas : bonus homo de bono thesauro profert bona (et malus homo de malo thesauro profert mala), et beato Nectario talium munerum tuorum gustum dedisti. Taceo de Joanne, cujus nunc cineres adorando veneraris invitus. » (*Ibid.* p. 500 ; M. 48. 581-582.

II. PARS : Formulae ad enuntiandum dogma ita erant adhuc aequivocae, ut, pro contraria sollicitudine vitandi Apollinarismum vel Adoptianismum, suspicionem facile moverent.

1° Haec aequivocatio procedebat :

a) *Ex cura contraria urgendi unitatem personalem Christi,* vel *realitatem* et plenitudinem, etiam post unionem, *duarum in Christo naturarum.*

b) *Ex principio quod ex duobus completis non potest fieri unum* (δύο τέλεια ἓν γένεσθαι οὐ δύναται. Ps. Athanas. *cont. Apollinar.* I. 2 M. 26, 1096 B ; Greg. Naz. *ad Cledonium epist.* I. M. 37, 184 B). — Haec enim difficultas, quae, toti mysterio Incarnationis subjacens, Apollinarismo jam occasionem dederat (Cf. Voisin : *L'Apollinarisme* p. 289-290), cum insoluta maneret, mentes in vias contrarias, nestorianismum scilicet vel monophysismum, abducebat. Recte enim Boetius in libro *De persona et duabus naturis* (M. 64, 1347 D) ait : « Eutychetis error ex eodem quo Nestorii fonte prolabitur : nam sicut Nestorius arbitratur non posse esse naturam duplicem, quin persona fieret duplex,... ita quoque Eutyches non putavit naturam duplicem esse sine duplicatione personae... Itaque Nestorius recte tenens duplicem in Christo esse naturam,sacrilege confitetur duas esse personas, Eutyches vero recte credens unam esse personam, impie credit unam quoque esse naturam ».— Nec aliter Leontius Byzantinus in *Contra Nestor. et Eutychet.* l. I (M. 86^1,1275 C-D) — Jamvero difficultatis solutio philosophica non minus adversariis Nestorii quam olim adversariis Apollinarist. deerat: pro controv. cum Apollinarist. cf. Voisin. *op. cit.* p. 359 et *cf.*, si vis, responsum quod tentat Gregorius Nazianz. *(Epist. ad Cledonium* I. M. 37, 184 B-185 B) cum responso S. Cyrilli *in epist. ad Succensum* II. 3 (M. 77, 241 D-244 B). Uterque affirmat Christum esse quidem perfectum Deum et perfectum hominem at simul unum (cf. Voisin, p. 362-363). Hoc autem quomodo fieri possit, vix tentat ullus dicere.

c) *Ex synonymia utrinque* vigente *inter voces* φύσις *et* ὑπόστασις. Etsi enim

jamdiu in quaestionibus de Trinitate voces illae distinguebantur ut commune et proprium designantes — cf. v.gr.apud ipsum CYRILLUM : *adv. Nestor. blasph.* V. 6 (M. 76, 240 C). « Una enim divinitatis φύσις ἐν τρισὶν ὑποστάσεσιν intelligitur », vel *Quod B. M. sit Deipara* 12 (M. 76, 269 B) — tamen, cum in rebus creatis non cognosceretur ulla φύσις realis et completa quae non esset simul et ὑφεστῶσα, ubi agebatur de Christo, utraque vox usurpari solebat indifferenter, ut multipliciter constat apud S. Cyrillum. v. gr.: **z**) Ipse affirmat synonymiam : *In Apologetico contr. Theodoret.* anath. II : « Dicimus unionem καθ'ὑπόστασιν factam esse, verbo hoc καθ'ὑπόστασιν nihil aliud demonstrante, nisi hoc tantum quod ἡ τοῦ Λόγου φύσις, ἤγουν ἡ ὑπόστασις, id est ipsum Verbum, humanae naturae (φύσει) unitum, unus intelligitur et est Christus, idem Deus et homo » (M. 76, 401 A). — **y**) Indifferenter dicit unionem factam esse καθ'ὑπόστασιν vel κατὰ φύσιν : *cf. v. gr.* in eadem paragr. ejusdem epistolae ad Nestorium. (M. 77, 109 D et 112 B) cf. praeterea M. 76, 1220 B ; 65 A ; 77, 568 C. — **x**) Sicut non vult post unionem dividi ὑποστάσεις,ita non vult dividi φύσεις : cf.*Anathem.* III (D. B. 115) et *Epist.* XVII (M. 77, 116 A) pro ὑποστάσεις et *Epist.* XLV (M. 77, 232 D) pro φύσεις : « Μετὰ μέντοι τὴν ἕνωσιν οὐ διαιροῦμεν τὰς φύσεις ἀπ'ἀλλήλων ..» — **v**) Dicere unam esse naturam Verbi incarnatam illi idem est ac dicere non esse duo πρόσωπα : « Ignorant *unam esse naturam Verbi incarnatam.* Si enim unus est Filius, Verbum ex Deo Patre genitum, qui deinde secundum assumptionem carnis prodiit homo ex muliere, non propterea εἰς δύο μερισθήσεται πρόσωπα καὶ υἱούς » (*Epist.* XLVI. 2. M. 77, 242 A).

Hanc autem synonymiam non fingas fuisse ita mutuam ut vox ὑπόστασις usurpari potuisset pro natura in abstracto considerata. At Cyrillo adeo fixum erat omnem φύσιν realem dici posse etiam ὑπόστασιν ut ex hoc solo repugnaret dicere Verbum passum esse τῇ φύσει τῆς ἀνθρωπότητος v. *Ep.* XLVI. 4 (M. 77, 244 D-245 D.)

Nec diu clare apprehensa est distinctio facienda inter φύσιν et ὑπόστασιν, donec LEONTIUS BYZANTINUS († circa 543) in suo *libro contra Nestor. et Eutych.* (M. 86', 1277 D-1280 B), distinctione facta inter ἐνυπόστατον et ἀνυπόστατον, dixit nullam quidem esse φύσιν ἀνυπόστατον at non exinde sequi omnem φύσιν esse ὑπόστασιν, cum possit esse ἐνυπόστατος nec φύσις et ὑπόστασις convertantur. « Natura igitur, id est substantia (οὐσία), nunquam ἀνυπόστατος esse potest ; non tamen natura est hypostasis quia non ἀντιστρέφει. Hypostasis enim est natura, natura autem non jam est hypostasis Ἡ μὲν γὰρ φύσις τὸν τοῦ εἶναι λόγον ἐπιδέχεται · ἡ δὲ ὑπόστατις καὶ τὸν τοῦ καθ'ἑαυτὸν εἶναι, καὶ ἡ μὲν εἴδους λόγον ἐπέχει, ἡ δὲ τοῦ τινος ἐστιν δηλωτική. » (*Loc. cit.* 1280 A).

2° **Aequivocatio versabatur circa formulas significantes** : (cf. MAHÉ : *Rev. hist. eccl.* 1906 p. 538-542).

a) *Elementa unionis.* Pro humana natura, quam conantur affirmare perfectam, Orientales libentius adhibent vocabula ἡ τοῦ δούλου μορφή ; τὸ

ἐκ σπέρματος Δαυΐδ ; τὸ ληφθέν ; τὸ φαινὸμενον ; ὁ ἄνθρωπος, quae, ut subsistentiam propriam innuentia, Cyrillo potius suspicionem movent. Ipse enim potius adhibet ἀνθρωπεία φύσις ; σάρξ ; σὰρξ ἔμψυχος ; σῶμα. Quoad vocem ἄνθρωπος in specie, non refugit eam adhibere ut attributum : ὁ Λόγος γέγονεν ἄνθρωπος, at eam excludit ut subjectum : οὐκ ἄνθρωπον ἀνειλῆφθαι φαμὲν παρὰ τοῦ Θεοῦ Λόγου (cf. *Apologet.* 8 *anathem. cont. Theodoret.* M. 76, 429 A).

b) *Ipsam unionem.* Utrinque adhibentur formulae scripturisticae : ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο ; corpus X^{i} dicitur divinitatis ναός. At Orientalibus formula S. Cyrilli, ἕνωσις φυσική, καθ'ὑπόστασιν, Apollinarismum sapiunt, sicut Cyrillo merum adoptianismum sapiunt formulae Orientalium, ἕνωσις simpliciter, ἐνοίκησις, συναφεία, ὁ Λόγος τὴν δοὺλου μορφὴν ἔλαβεν, ἄνθρωπον ἀνέλαβεν. Ut appareat quanta circa hoc fuerit aequivocatio, cf. apud Mahé *loc. cit.* p. 504-512, interpretationes quas Andreas Samosatensis et Theoderetus dant secundi et tertii anathematismi S. Cyrilli.

c) *Effectus ipsos unionis.* — **z**) Formula apud S. Cyrillum usitatissima, μία φὺσις vel ὑπὸστασις τοῦ Θεοῦ Λόγου σεσαρκωμένη, quam ipse intellegebat sensu excludente omnem monophysismum (cf. v. gr. *epist. ad Succensum* XLVI. 1 et 2. M. 77, 240-241) et putabat esse S. Athanasii (*De recta fide ad Reginas.* 9. M. 76, 1212), erat revera Apollinaristae cujusdam (cf. Voisin. *op. cit.* p. 155, 182 sqq.) Hinc non mirum est eam tot suspiciones movisse Orientalibus. Idem dicas de formula fere eadem : Μ. Φ. Τ. Θ. Λ. σεσαρκωμένου, quam adhibet v. gr. *epist.* XL (M. 77, 192 D-193 A) et quam tantum ex male scripto textu legitur abjecisse in suo opere *quod unus sit Christus* (M. 75, 1292 D) *(cf.* Mahé *art. cit. col.* 2513). Ex quaestione enim praemissa : « At, si unam esse dicimus Filii naturam, *tametsi intelligatur incarnatus,* necessarium plane est ut confusionem et misturam factam fuisse statuamus », patet responsum legi debere : « Vehementer profecto imperitus fuerit qui confusionem et misturam factam fuisse dixerit ex eo quod [legendo in graeco textu cum editione Pusey : εἰ δὴ pro οὐδέ] unam confiteamur naturam incarnati et hominis facti ». Idem proinde sensus est utriusque formulae, de qua cf. Franzel. *thes.* 35 ; Pesch. n. 141 et definitionem concilii aecum. V. (D.B. 220). — **y**) Formula quod Christus sit εἷς καὶ οὐ διπλοῦς, εἷς ἐξ ἀμφοῖν suspicionem mixturae et confusionis naturarum pariter movebat. Cf. in *quod unus sit Christus* (M. 75, 1292 A) quomodo ipse compositionem explicet ad modum quo ex corpore et anima fit unus homo. — **x**) Formula quod post unionem duae naturae non distinguuntur nisi θεωρίᾳ μόνῃ nata quidem erat suggerere distinctionem illam non esse nisi rationis seu in abstracto — At videas, tum in op. *quod unus sit Christus* (M. 75, 1292 B), tum in epist. ad Succensum XLVI (M. 77, 245 A) distinctionem illam esse rerum realiter distinctarum, sicut corporis et animae in homine, etsi sola intelligentia possit eas discernere. — **v**) Formula duodecimi anathematismi « ὁ Λόγος ἔπαθε σαρκί » videtur Orientalibus « non servare impassibilem divinam naturam. Qui dixit : Passus est carne, nihil aliud dixit quam cum carne fuisse passum. Quam-

vis ergo *cum* carne sit passus, nihilominus passibilis asseritur ». Hinc est cur ipsi dicere malint : « Non passus est Deus carni unitus, sed caro conjuncta Deo Verbo, ejus permissu, propria sustinuit » *(Apolog.* 12 *anathem. cont. Orient.* M. 76, 378 B-C) — vel « ἔπαθε ἡ τοῦ δοὺλου μορφή », ut scribit Theodorus *(Apolog.* 12 *anathem. contr. Theodoret.* M. 76, 449 B). — **u**) vox tandem θεοτόκος aliter ab aliis intellegebatur ex sola jam cura vel Apollinarismi vitandi vel nimiae naturarum distinctionis excludendae.

III. PARS. — Attamen non Nestorii sed S. Cyrilli doctrina, qualem conc. Ephesinum definivit, est juxta traditionem et Scripturam Sacram.

Praenotanda. 1° *Doctrina Nestorii* qualis proprie fuerit difficile est judicare tum propter deficientiam ejus operum, tum propter scopum apologeticum et affectatum consensum cum Alexandrinorum postea haereticorum adversariis, tum propter exaggerationem formularum ex aestu controversiae ortam. Ceterum non hoc factum mere historicum sententiae Nestorii subjectivae nobis considerandum est, bene vero factum historicum sensus quem, dato textu et contextu una cum circumstantiis temporum, locorum, personarum et controversiarum, assertiones Nestorii fundere natae erant. Jamvero, attentis doctrinis Diodori Tarsensis et Theodori Mopsuestani quorum sequax erat Nestorius ; attentis contranathematismis quos S. Cyrillo opposuit (M. 40, 409 sqq.) ; attentis non paucis ejus assertionibus etiam in opere posthumo ; attento praesertim ejus argumento solemni Scripturam aut Patres nunquam Deo ipsi vel Domino tribuere eas actiones quae sunt naturae humanae sed vel Christo, vel Filio aut aliis illis nominibus quae sint utriusque naturae significativa, jure reducas ejus errorem ad hoc quod, cum putaret unionem naturarum completarum non fieri posse in unitate physice personali, quin alterutra mutaretur aut duae commiscerentur, voluit unionem fuisse personarum ipsarum, quae sane non potest esse nisi accidentalis aut moralis. Caveas tamen affirmare eum admisisse simpliciter duos Christos, duos filios, duas personas in Christo, cum econtra illud explicite et saepissime negaverit — (Cf. Tixeront, t. III, ch. II).

2° *Doctrina* econtra *S. Cyrilli,* qualis saltem a conc. Ephesino definita est (D. B. 113-124), clara est. Asserit unicum subjectum earum etiam operationum quae eliciebantur ab humana natura esse ipsam Dei Verbi hypostasim seu personam. Quod exprimit trita S. Cyrilli formula : una natura *seu hypostasis Dei Verbi incarnata.* Hanc etenim, nec aliam doctrinam, opposuit semper S. Cyrillus dilemmati, quod Nestorius ad mortem usque putavit invictum : Aut divinam naturam peperit Maria, aut non est Dei genitrix. — « *Respondebitur a nobis : Carnem factum esse illud ex Deo Patre Verbum Scriptura divinitus inspirata dicit, hoc est carni sine confusione et secundum hypostasim unitum ; neque enim alienum ab eo erat unitum illi corpus, et natum ex muliere, sed ut suum cuique nostrum proprium est corpus, eodem modo etiam Unigeniti corpus proprium illi erat, et non alterius ; sic namque factus est etiam secundum carnem* » *(adv. Nest. l.* I. 1 M. 75, 19 D).

3° *Thesis* ex consulto sic ponitur ut appareat *definitionem fundatam esse in sensu Ecclesiae* et analogia fidei potius quam in explicitis Scripturae aut Patrum assertionibus ; doctrina de unitate personali non videtur fuisse antea in praedicatione explicita Ecclesiae. Hinc facile intelligitur Nestorianos potuisse allegare pro sua doctrina textus Scripturae aut Patrum qui, seclusa interpretatione Ecclesiae, eis tam favere quam contradicere possent.

4° Eo ipso tamen quod thesis, qualis enuntiatur, probatur, apparet *doctrinam definitam* esse formaliter *revelatam.* — Eo ipso etiam apparet quantopere erraverint Günther et Rosmini, putando salvum esse dogma, dummodo admitteretur humanam Christi personam (id est, conscientiam aut voluntatem) fuisse divinae ab initio conjunctam et subordinatam.

Probatur : I. *De traditione.*

1° **Ex reprobatione quam statim ab initio passa est doctrina Nestorii:** (De populi et cleri indignatione, cf. Hefele : *Hist. des conciles*, l.IX, cp. I, § 124). De oppositione etiam eorum qui illi favebant judicare potes ex *epist.* Joannis Antiocheni ad ipsum, ubi hortatur eum ad subscribendum doctrinae SS. Coelestini et Cyrilli intra decem praefixos dies, tum quia vox θεοτόκος jam admissa est a multis Patribus, tum quia « si id quod nominis significatione offertur non recipimus, restat ut in gravissimum errorem prolabamur ; imo vero, ut inexplicabilem illam unigeniti Filii Dei oeconomiam abnegemus, quandoquidem, hoc nomine sublato, vel hujus potius nominis notione repudiata, sequitur mox illum non esse Deum qui admirabilem illam dispensationem nostrae salutis causa suscepit ; tum Dei Verbum neque se exinanivisse, neque in servi formam sese demittens, ineffabilem quamdam benignitatis magnitudinem humano generi exhibuisse. » (Labbe *Concil.* t. III. 393 A-B).

2° **Ex concordia Ecclesiae Occidentalis cum Orientali** contra Nestorii doctrinam, ut constat, a) *Ex epistolis S. Coelestini ad S. Cyrillum* contra Nestorium, vel ad Nestorium ipsum (M. P. L. 50. 457 *sqq.* vel P. G. 77. 90 sqq.). — b) *Ex damnatione* in Africa circa annum 426 lata in Leporium, Pelagii discipulum (de quo cf. Hefele : Hist. des conciles l. VIII § 126), cujus libellus retractationis ad episcopos Galliae, qui eum prius damnaverant, missus haec habet : « Si minime percipientes potentiam Dei, sensu nostro et ratione propria sapientes, quasi inferiora se Deus agere videatur, ita *hominem cum Deo* natum esse dicamus, ut seorsum quae Dei sunt soli Deo demus et seorsum quae sunt hominis soli homini deputemus, quartam manifestissime introducimus in Trinitate personam et de uno filio Dei non unum sed facere incipimus duos Christos, quod a nobis jam ipse Dominus et Deus Christus avertat. Ergo confitemur Dominum ac Deum nostrum J. X^m^ unicum Filium Dei, qui sibi ante secula natus ex patre est, nobis a tempore de Sp. S. et Maria semper virgine factum hominem, Deum natum : et confitentes utramque substan-

tiam carnis et Verbi unum eumdemque Deum atque hominem inseparabilem semper pia fidei credulitate suscipimus, et ex tempore susceptae carnis sic omnia dicimus quae erant Dei transiisse in hominem, ut omnia quae erant hominis in Deum venirent ». (ap. CASSIANUM : *de Incarnatione* l. I. 5 M. 50, 25-26 vel *Corp. Scr. lat. Viennens.* t. XVII. p. 242.

3° **Ex doctrina adversariorum Apollinarismi.** Inter quos sufficiat recitare, **a**) S. GREG. NAZIANZ. in *epist.* 101 *ad Cledonium* (M. 37, 179) : « Ut paucis rem complectar, aliud quidem atque aliud sunt ea ex quibus Salvator, non tamen alius atque alius. Ambo enim haec connexione unum sunt, θεοῦ μὲν ἐνανθρωπήσαντος, ἀνθρώπου δὲ θεωθέντος, aut quocumque tandem nomine quispiam uti malit... Si quis divinitatem in eo, velut in propheta,per gratiam operatam fuisse, non autem secundum essentiam (κατ'οὐσίαν) copulatam fuisse atque copulari dixerit..., si quis *crucifixum* non adorat, anathema sit, atque in eorum qui *Deum interemerunt* numerum ascribatur ». — **b**) PS. ATHANASIUM (forte DIDYMUM) in *De Incarnat. cont. Apollinar.* l. I, 12 (M. 26, 1114 A-B) : « Errant qui dicunt alium esse qui passus est Filius, et alium qui passus non est. Non enim alius est quam ipsum Verbum quod passionem et mortem susceperit. Sed illud ipsum incorporeum et impassibile Verbum, cum generationem carnis subire dignatum esset, omnia implevit ut haberet quod pro nobis offerret. Et dicitur melius Angelis factum, non quod Verbum factor angelorum melius factum sit, sed forma servi, quam ipsum Verbum propriam sibi naturali generatione reddidit, (ἣν ἰδιοποιήσατο φυσικῇ γεννήσει) melior ex protoplasti generatione exorta est... καὶ κατὰ φύσιν θεοῦ γέγονεν ἰδία, οὐκ ὁμοούσιος οὖσα ἡ σὰρξ τῆς τοῦ Λόγου θεότητος, ὡς συναΐδιος, ἀλλὰ ἰδία κατὰ φύσιν γενομένη, καὶ ἀδιαίρετος κατὰ ἕνωσιν. » — **c**) S. EPIPHANIUM, qui in longiori *symbolo* quod dicit baptizandis ubique tradendum, haec habet : « Καὶ εἰς ἕνα Κ. Ι. Χ. τὸν Υ. τ.Θ... τὸν δι' ἡμᾶς... σαρκωθέντα, τουτέστι γεννηθέντα τελείως ἐκ τῆς ἁγίας Μαρίας, ἐνανθρωπήσαντα, τουτέστι τέλειον ἄνθρωπον λαβόντα ψυχὴν καὶ σῶμα... οὐκ ἀπὸ σπέρματος ἀνδρός, οὐδὲ ἐν ἀνθρώπῳ, ἀλλ'εἰς ἑαυτὸν σάρκα ἀναπλάσαντα εἰς μίαν ἁγίαν ἑνότητα. Verbum quippe caro factum est, neque aut mutationem ullam est expertum, aut divinitatem suam in naturam convertit hoīs, sed in unam sanctam perfectionem divinitatemque copulavit. Unus enim est Dominus J. C., non duo ; idem Deus, idem Dominus, idem Rex. Qui passus est in carne (παθόντα τὸν αὐτόν) » (M. 43, 234-235). Clarius adhuc et explicite contra Apollinaristas in suo *Adv. Haeres.* (LXXVII. 29. M. 42, 684 D.) « Dei Verbum perfecte hoīem esse factum nemo non intelligit. Cum autem perfecte dicimus, non duos idcirco Christos asserimus, non duos Reges Filios Dei, sed eumdem Deum, eumdem hominem, non ideo quod habitarit in homine, sed quod ipse totus homo sit factus ; non quod [ille homo], cum homo esset, [progressione quadam] ad divinitatis conditionem processerit ; sed quod Deus e celo veniens, pro divinitatis suae potentia, suam sibi hominis affinxerit naturam. (οὐκ ἄνθρωπον ὄντα, ἐλθόντα εἰς προκοπὴν θεότητος, ἀλλὰ θεὸν

ἀπ'οὐρανῶν ἐλθόντα, καὶ εἰς ἑαυτὸν ἀναπλασάμενον τὴν ἰδίαν ἐνανθρώπησιν)».

4° **Ex symbolo Niceno** quod, contra Nestorium illud saepissime allegantem (cf. v. gr. in *Adv. Nestor.* l. V. 6-7. M. 75, 244 B. C), S. Cyrillus etiam invicte appellat : « Sacra illa et magna synodus evangelicae doctrinae inhaerens, illum ipsum Unigenitum, qui ex Dei et Patris essentia natus est, propter nos... de coelo descendisse, assumptaque carne, hominem factum, et passum esse, etc... commemorat ». (*Epist.* I. *ad monach.* vel IV. *ad Nestorium* M. 77,18 C-D, vel 468 B et alibi saepissime).

5° **Ex usitatissima voce** θεοτόκος ad designandam Virginem Mariam. Auctores enumerat Leclercq in nota 4 ad p. 243 editionis suae Hefele : *Hist. des concil.* t. II[1].

6° **Ex assertionibus scriptorum antenicenorum** in quibus apparet eos tenuisse semper Christum ut unum etsi Deum simul et hominem, et ipsi Deo tribuisse redemptionem per crucem : Sic, v. gr., **a)** Petrus Alexandrinus(† 302) : « Voluntate Dei *Verbum caro* factum et habitu inventum ut homo non est a deitate destitutus ; non enim ut a sua gloria et virtute desisteret, cum esset dives, pauper est factus, sed *ut mortem pro nobis ipse sustineret*... mortuus quidem carne, vivificatus autem spiritu ». (M. 18, 510 A). — **b)** S. Hippolytus in fragm. *contra Noet.* 15 (M. 10, 823) explicite dicit *ipsum Verbum passum esse carne ;* ipsum Verbum esse eum Filium quem Deus per carnem misit. — Quod explicite negabat Nestorius, v. gr. ap. Loofs, *op. cit. p.* 274 vel M. 48, 765 B aut 794 A. — **c)** Tertullianus, qui, inter ea « stulta » quae tamen ne Marcion quidem auferre audet, recenset « Deum crucifixum. Quid enim indignius Deo, nasci an mori ? Nonne vere crucifixus est Deus ? nonne vere mortuus ? » (*De carne Christi* 5 M. 2, 760 A-B). Idem in *adv. Praxeam* 27 (M. 2, 190-191) Verbi incarnationem eis formulis describit quas dicas a S. Leone transcriptas — Attamen — ne Nestorianismum eaedem tibi sapiant — attende Tertullianum in hoc capitulo, cum velit contra Monarchianos ostendere « Filium », veram Trinitatis personam, esse, non « carnem seu hominem », sed ipsum Dei sermonem, urgere distinctionem utriusque in Christo naturae. — **d)** S. Irenaeus, qui contra Gnosticos distinguentes Jesum Christum a Verbo, urget identitatem Verbi et Salvatoris : « Discite insensati, quoniam Jesus, ὁ παθὼν ὑπὲρ ἡμῶν, ὁ κατασκηνώσας ἐν ἡμῖν, οὗτος ἔστιν ὁ Λόγος τοῦ θεοῦ » (*Haeres.* I. 9, 3 M. 7, 541 B) « Omnes extra dispositionem sunt qui, sub obtentu agnitionis, alterum quidem Jesum intelligunt, alterum autem Christum, et alterum Unigenitum, (ab hoc autem rursum esse Verbum) ; et alterum Salvatorem... Sententia enim eorum homicidialis est, deos quidem plures confingens,... comminuens et per multa dividens Filium Dei. Quos et Dominus... et Joannes... et Paulus fugere praecipit... Nescit [enim Paulus, *Rom.* V, 17] eum qui « evolavit » Christum a Jesu ; neque eum novit Salvatorem qui sursum est, quem impassibilem dicunt. Si enim alter quidem passus est, alter vero in eum qui natus est descendit et rursus reliquit eum, non unus sed duo monstrantur ». (*ibid.* III. 16, 8-9 M. 7, 926 C, 928 A). — Et in sua recenter

germanice edita *Demonstratione Apostolicae praedicationis*, n° 40, dicit ipsum Dei Filium « *seminatum esse a Sp. S.*, natum esse ex M. V. » ; **e**) MELITO SARDENSIS, coaevus S. Irenaei, ex eodem scopo in opere suo *De Incarnatione Christi* adv. Marcionem scripto, ex consulto probat *eumdem* esse Deum simul et hominem : « Θεὸς γὰρ ὢν ὁμοῦ τε καὶ ἄνθρωπος τέλειος ὁ αὐτός, τὰς δύο αὐτοῦ οὐσίας ἐπιστώσατο ἡμῖν » (M. 5, 1221). Unde non mirum quod in *Sermone de Passione* dixerit : « Deus passus est a dextra Israelitidis ». — **f**) Tandem videre potes quomodo S IGNATIUS in *Rom.* VI. 3 et *Eph.* XVIII. 2 coll. cum VII. 2, ipsi Deo tribuat passiones quas sola humana natura experiri potuit.

Objiciuntur non pauci Patrum textus ubi agitur in Christo de *homine concreto* : v. gr. apud S. ATHANAS. *Or. cont. Arianos* I. 41. 45 ; IV. 35 (M. 26, 96. C ; 104-105, 521 B) ; *Expositio fidei*, 4 « homo dominicus » (M. 25. 205 C) ; — apud TERTULLIANUM : *adv. Prax.* 27 et 30 (M. 2, 191 C et 195 B) — apud IRENAEUM : *Haeres.* l. V. cp. XIV. 1 (M. 7, 1161 A) et alibi passim.

Resp. Hujusmodi formulae in quibus, ante exortam controversiam Nestorii, nemo quidquam offensionis reperiebat, significant humanam naturam, quam aliquando auctores illi scopum habent asserendi perfectam et realem.

Quoad aliquod dictum S. J. CHRYSOST. in *Hom. III in Hebr.* I (M. 63, 28-29), ubi aliqui putarunt affirmari duas in Christo personas, sufficit advertere eum,in verbis *Psalmi* XLV. 7-8 recitatis ap. *Hebr.* I. 8-9, invenire .assertum, tum contra Judaeos, eumdem, scilicet Filium Dei, esse duo, Deum nempe et hominem (δύο τὸν αὐτὸν δεικνύς, καὶ θεόν, καὶ ἄνθρωπον) tum contra Marcellum, qui non agnoscebat in Christo nisi personam unicam divinam, duas esse personas divinas distinctas secundum hypostasim, eam scilicet quae dicitur ungi et eam quae ungit.

II. *De Scriptura.* (Cf. PESCH. n. 40 ; D. TH. *cont. G.* IV. 34 ; W. 168.)

1° **In genere ex eo quod eidem subjecto, quod est unum, tribuit ea quae sunt et humanae et divinae naturae.** In hoc facto nititur tota argumentatio S. CYRILLI contra Nestorium : « Voces, quibus Salvator noster de se loquens passim in evangeliis utitur, illas duabus hypostasibus aut personis nequaquam tribuimus ; nam, etsi ex duabus, iisque diversis, in unitatem quandam inseparabilem coaluerit,unus tamen et solus Christus... Unde recto animi sensu utentes, utrasque, hoc est, divinas et humanas, ad unam tantum personam (παρ' ἑνός) transferimus... Omnes proinde voces quae in evangeliis leguntur, uni tantum personae, uni hypostasi Verbi incarnatae tribuamus necesse est : *unus enim est Dominus Jesus Christus* secundum Scripturas [I *Cor.* VIII. 6] » (*Epist.* XVII *ad Nestorium.* M. 77, 115 B-C. Et *cf.* idem in « *Quod Maria sit Deipara* 3. M. 76, 258 II.)

Hinc **efformabis argumentum** pro unitate personae ex eo quod :

Gal. IV. 4 : qui praeexistebat Filius Dei factus est ex muliere.

Philipp. II. 6-7 : qui erat in forma Dei, idem exinanitus, suscepit formam hominis ita ut esset verus homo.

Joan. XVII. 5 : qui claritatem habuit apud Patrem priusquam mundus esset, idem clarificandus est ut homo.

Rom. IX. 5 : qui est Deus super omnia benedictus, idem est ex Judaeis secundum carnem.

1 *Cor.* II. 8 : qui est Dominus gloriae, idem est crucifixus.
Act. XX. 28 : Deus acquisivit Ecclesiam sanguine suo.

Sic enim **argumentari** tibi licet : Christus, unus et idem, est vere et physice Deus et homo. Atqui unus et idem physice Deus et homo est unum subjectum, una persona physica, habens naturam divinam et naturam humanam.

Quod sic confirmare potes : Est unus et idem in duabus naturis vel moraliter tantum, vel secundum naturam, vel secundum personam.... Atqui non tantum moraliter, quia asseritur *unitas ontologica et physica :* ille qui est Deus, ipse est ontologice homo ; ille homo est ipsum Verbum Deus. Non sic unitas moralis, v. gr. inter virum et uxorem... Non secundum naturam : absurdum est enim unam naturam esse alteram, aut esse unam naturam ex duabus naturis permanentibus.

2° **In Specie** ex eo quod « *Verbum caro factum* est » vel quod « *Filius Dei factus est ex muliere* » *(Gal.* IV. 4). Hoc sane factum est quin « Verbum », « Filius » desineret esse Deus. Jamvero hoc factum esse nequit quin ita assumeret sibi naturam humanam ut fieret una persona in duabus naturis. Nam, factus est homo vel conversione in hominem — vel receptione naturae humanae ad modum accidentis — vel per unionem moralem et accidentalem — vel tandem per hujusmodi assumptionem in una hypostasi.

Difficultates : cf. W. n. 169. Urgeri solet a dogmatum historicis textus epist. ad *Rom.* I. 3-4 ubi volunt esse germen illius Christologiae, quam Nestorius asservarit et ex qua duplex sit Christus. — **At**, notato illum textum asserere quidem duas naturas, nihil autem asserere de modo quo uniantur, respondeas eum interpretandum esse juxta doctrinam alibi manifestam tum S. Pauli tum totius Ecclesiae primitivae quod *unus est Christus.*

Urgeri potest etiam difficultas orta ex comparatione duorum textuum : « *Ego et Pater unum sumus.* — *Pater major me est* » — et similium. Ubi enim duplex « ego » ibi duplex persona. Atqui, Christo teste, duplex ego : Ego aequalis, ego inaequalis Patri.

Resp. Est in Christo « *ego* » seu « *persona* » non realiter sed *virtualiter duplex.* Illa enim persona habet in se, ratione naturae assumptae, unde fundetur duplex praedicatio. Bene Pesch ait (n° 130 in fine) : « Verbum habens naturam humanam et Verbum non habens naturam humanam distinguitur distinctione rationis cum fundamento in re ». Jamvero ad fundanda praedicata contradictoria de una eademque re sufficit distinctio rationis.

Corollaria I. Hinc confutati manent illi doctores de quibus S. Thomas in q. 2 *a.* 6 et 3, qui, unam personam fatentes, duas personas affirmabant, aut unionem accidentalem inter duas personas.

II. Hinc apparet etiam error asserentium quidem unitatem personae Christi, sed negantium unionem exstitisse *a primo conceptionis instante* **a**) Symbola enim ac Scriptura docent Filium Dei *factum ex muliere (Gal.* IV. 4), conceptum et natum ex eadem *(Luc.* I. 31) ; Ecclesia profitetur B. M. V. esse vere et proprie Matrem Dei..... **b**) Patres idem docent tanquam ad fidem pertinens. V. Petav. IV. 11 ; S. Leo *ep.* 25 *ad Julianum*, 3 (M. 54, 803). « Natura nostra non sic assumpta est, ut prius creata postea assumeretur, sed ut ipsa assumptione crearetur »..... **c**) Ratio theologica

(q. 23. a. 3) : secus non esset conceptum Verbum, et debuisset destrui hypostasis praeexistens.

§ II. DE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM DISTINCTIONE.

Praenotanda de haeresi Monophysitarum.

1. **Eutychetis historia.** Impugnando Nestorium, in errorem oppositum incidit, huncque postea pertinaciter retinuit. Damnatus est primum in synodo particulari Constantinop. sub Flaviano, dein a S. Leone in *epist. ad Flav. ;* sed a *latrocinio ephesino* (**449**) per violentiam vindicatus, tandem in Concilio Chalcedonensi (**451**) solemni definitione cum sectatoribus suis condemnatus est. — Non tamen ibi desierunt turbae, nec erroris propagatio : Decem sectae exortae sunt, quarum duae adhuc supersunt, Coptae scilicet et AEthiopes, Jacobitae et Armeni.

2° **Error** ejus *multipliciter* a sectatoribus *explicatur :* Unam dicunt naturam ex duabus, vel mera *adjunctione* aut *confusione* ambarum, vel *conversione* alterutrius in alteram, vel ambarum in tertiam. — Hic error relabitur in Arianismum, vel docetismum, vel apollinarismum (*C. G.* IV. 35).

THESIS XIV. Natura divina et humana per Incarnationem non coaluerunt in unam naturam, sed utraque post unitionem inconfusa, impermixta et integra permanet. *De fide*, praes. ex C. Chalc. (D-B. 143-144 et 148).

1. **Scriptura** — a) docet Christum esse Deum et hominem *(Phil.* II. 6) ; — b) tribuit ei proprietates Divinitatis et humanitatis ; — voluntatem divinam et humanam, velut *Luc.* XXII. 1. 2. « Non mea voluntas, sed tua fiat ».

2. **Traditio :** — a) Concilia : aequivalenter Nic., Cplm I, Ephes ; — expresse Chalced. — b) S. Leo, in *epist. ad Flavian.*, definiens, ante C. Chalced. Vide hanc insignem epist. (M. 54, 755) et monitum eidem praefix. *(ibid).* — c) **Patres :** — tum ii qui floruerunt ante exortum Eutychianismum, v.gr. Tertull. *(adv. Prax.* 27. R.J. 379) ; S. Ambrosius *(De fide.* 11. 7. 66. R. J. 1267), — tum ii qui hunc errorem debellaverunt, praecipue S. Leo (M. 54, 755), pluribus epistolis ; S. Flavianus, pluribus epist. ad S. Leon, (ibid. p. 723, 743, etc.) ; S. Petrus Chrysolog. *(ibid.* p. 739) ; S. Jo. Damasc. *(F. O.* III, 3).

3. **Ratio th.** — Una natura ex duabus resultaret, vel simplici conjunctione ambarum quae perfectae et integrae permanerent, vel conversione ambarum in tertiam aut unius in alteram vel compositione ambarum imperfectarum et incompletarum... (q. 2. a. 1).

Difficultates ortae ex eo quod P.P.dicunt humanam in Christo naturam deificatam esse, absorptam a divinitate, mutatam in naturam divinitatis, solvuntur, attento eos loqui non de constitutivis essentialibus naturae sed de eis quae consequuntur ad ejus conditionem naturae infirmae et ad malum proclivis.

Formulgae S. Cyrilli et aliorum : « *Una natura Verbi incarnata,* imo et « *incarnati* » vel « *Duae naturae non distinguuntur nisi* θεωρίᾳ » jam explicatae sunt supra in secunda parte theseos de unitate personae.

§ III. DE DUPLICI IN CHRISTO VOLUNTATE ET OPERATIONE.

THESIS XIV^bis. Duae sunt in Christo voluntates et pariter volitiones. Idem porro dicendum de omnibus operationibus utriusque naturae. (q.18, a. 1.; q. 19.a. 1).

Praenotanda. — 1. Duplicem voluntatem et operationem negabant, indirecte et consequenter, Apollinar. et Eutych., directe, monotheletae. SERGIUS, cum aliis, ut retineret latenter eutychianismum, profitebatur unam in Christo voluntatem. Delatus a S. Sophronio ad HONORIUM, R. P., hunc decepit subdole affirmando se negare in Christo duas voluntates discordantes. Aliquot post annos, S. MARTINUS errorem damnavit in conc. Lateran., quam damnationem postea iteravit S. Agatho, et CONC. CP^lm III.

2. Non operationem humanam solam sed ipsam facultatem negasse videntur illi. Ad hoc quidem multi Eutychianismo latente inducebantur, et alii opinari potuerunt voluntatem multiplicari pro numero personarum non naturarum. — Omnes quidem facultates humanas Christi negabant (q. 19. a. 1) : plerumque tamen non curaverunt nisi de neganda voluntate, quae praecipua est et ceteras regit.

3. Nos pariter, praecipue voluntatem attendemus, sed argumenta ceteras etiam facultates probant. Vitantes porro confusionem quam haeretici ex proposito fovebant, *profitemur unitatem moralem*, seu consensionem voluntatum in Christo, *negamus unitatem physicam*, seu identitatem physicam voluntatis humanae et divinae. — Thesis est *de fide*, ex defin. MARTINI I (D.B.263-269) ; S.AGATHONIS (288) ; C.CONSTANTINOP.III, (291), etc. — Quae documenta dant etiam demonstrationem.

Probatur : 1. *Scriptura* — a) Generaliter exhibet in Christo operationes (et consequenter potentias) alias divinas, alias humanas *(V. Th. praeced.)* ; b) Speciatim, clare affirmat voluntatem Christi humanam a divina voluntate diversam, v.gr. *Matth.* XXVI, 39 ; *Luc.* XXII, 42 ; *Joan.* V, 31 ; VI, 38.

2. *Patres.* — a) Antiquiores, speciatim qui Arianos aut Eutychianos impugnaverunt, ex operationibus diversis arguebant in Christo inesse naturam divinam et humanam (V. PETAV VIII. 8, 9) ; — b) Alii, impugnaverunt ipsos monotheletas, invocantes Scripturam et traditionem (cf. *Petav.* VIII, 11, 12), afferentesque rationes theol. sequentes :

3. *Rationes th.* — a) Coroll. ex **duplici natura :** Nulla natura est propriarum facultatum et operationum expers, et facultatum numerus sequitur numerum naturam, non hypotaseon, quod probatur, tum ex mysterio SS. Trinitatis, tum ex ipsa notione naturae. — b) **Ex munere Christi** : si non habet operationes humanas, neque Deum glorificavit ut homo, neque redemit mundum, neque nobis exemplum praebuit. . c) Ex eo quod **operationes humanae Christi sint propriae Verbo**, et non communes toti Trinitati. — Cf. FR. 389-391.

EX. S. TH. q. 19. a. 1 : Si Christus destitueretur operatione humana, vel ejus humanitas privaretur propria forma et virtute, puta voluntate, intellectu (non esset homo) ; vel ex virtute humana et divina conflata esset

una composita (poneretur confusio naturarum) ; vel facultates ejus humanae fingerentur omni activitate destitui (repugnat in terminis ; negantur omnes actiones humanae Christi).

Nec obstat quod Christo attribuatur operatio *theandrica, deivirilis ;* neque quod dicatur in eo esse *una* deivirilis operatio : non enim significatur ex humanitate et divinitate, veluti ex facultate unica, procedere aliquam unam operationem, sed, ut ait Conc. Lateran. sub Martino I (D-B. 268), unionem duplicis operationis in uno supposito. Advertendum nempe est operationes theandricas non esse nisi eas in quibus « agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est » (S. Leo. D-B. 144) **Theandricae** proinde sunt, non quidem Verbi operationes sive notionales sive communes ad extra, ubi nullo modo intervenit humanitas, sed omnes **Christi** quae dicuntur **humanae et mixtae** operationes. Humanae, v. gr. currere, manducare, orare, dolere, etc., theandricae late dicuntur, quia sunt suppositi divini. **Mixtae** vero, sicut miracula verbo aut tactu facere, ambulare in mari, etc. **sunt proprie theandricae :** tunc enim una est operatio utriusque formae, non tantum propter unitatem suppositi et unitatem moralem inter utramque operationem, sed etiam propter coefficientiam unius effectus resultantis. — (Cf. Franzelin, p. 391-396).

Ad diffic. W. 226. Duae sunt in Christo voluntates sed unus volens. — Eae voluntates sunt infallibiliter concordes, ex subordinatione humanae, quae vult efficaciter idem quod divina, et, in ipsa volitione inefficaci, non vult nisi id quod Deus vult eam velle. Cf. Petav. IX, 10. — Ceterum vide infra, de libertate, de impeccabilitate, de passionibus.

De Honorio. 1. Status quaestionis : dolus Sergii, simplicitas Honorii, duarum hujus epistolarum sensus tum ex circumstantiis tum ex ipso textu, apud M. P. G. 80. 470-476 et D-B. 251-253 et K. 949-961, 966. — 2. Honorius non definivit ex cathedra. — 3. Non incidit in monotheletismum, ut probatur argumentis extrinsecis et intrinsecis. — 4. Quo sensu damnatio ejus a Conc. Cp. III (K.974-976) sancita fuerit a Leone II : quia negligentia juridica gravi haeresim confovit,quam extinguere debuit : « immaculatam fidem permisit maculari », ait Leo II in epistola confirmationis (K. 977).

CAPUT SECUNDUM : *SCHOLASTICUM*

Expositio scholastica dogmatis considerat unionem hypostaticam 1° **secundum se ;** — 2° **ex parte Personae assumentis ;** — 3° **ex parte naturae assumptae.**

Articulus I.

DE UNIONE HYPOSTATICA SECUNDUM SE.

Conceptus hujus unionis illustratur, ulterior ejus explicatio quaeritur, proprietates quaedam ejusdem exponuntur.

§ I. ILLUSTRATUR CONCEPTUS UNIONIS HYPOSTATICAE.

THESIS XV. — Hujus arcanae unionis conceptus analogicus illustrari aliquatenus potest, sive nominibus et formulis quibus a Patribus exprimitur, sive analogiis et comparationibus quibus ab iisdem adumbratur.

Unionem hanc incomprehensibilem conceptu analogico apprehendimus ex ipsis vocibus quibus nobis revelata est. Quem conceptum Patres conabantur omnimodo omnibus inculcare. V. Bell. *de Christo*, III, 8 ; Less. XII, C. 5 ; Th. Raynaud, t. I, p. 156, ss. ; Petav. III, 10 ; VI, 10 : VII, 15 ; S. Cyrill. Alex. apud Mar. Mercat P. L. 48, 1006, ss.

1° Explicant vocibus quibus possunt maxime accuratis *quid non sit et quid sit :* non esse unionem metaphoricam, impropriam, externam, affectionalem, dynamicam, relativam, moralem, accidentalem...; esse vero proprie dictam, realem, naturalem, physicam, intrinsecam, substantialem, hypostaticam, qua scilicet Verbum divinum humanae naturae propriam subsistentiam communicat. Cf. Petav. III, 1, 2, 4, 14.

2° Hunc conceptum illustrant *analogiis et comparationibus*, ex quarum singulis aliquid retinendum (S. Th. 3, *dist.* I, 1). — a) Aliquae proponunt unionem accidentalem quidem, sed intimam : ut sunt ferrum candens, carbo ignitus, rubus ardens, crystallus solari radio lucida ; vel etiam melius, homo peritia medicinae et jurisprudentiae simul praeditus ; vel verbum scriptum aut orale verbum internum exprimens... — b) Aliae, unionem substantialem, ut exemplum insitionis arborum (Less., *l. c.*), maxime vero exemplum unionis animae et corporis, qua comparatione Patres significant unionem esse physicam, adesse unitatem personae et dependentiam partis inferioris, et simul innuunt argumentum suadens possibilitatem unionis hypostaticae. — c) Aliae tandem mysterium mysterio comparant : ut Personae divinae habent unam naturam, ita duae naturae Christi unam habent personalitatem.

§ II. HUJUS UNIONIS NOTIO PHILOSOPHICA QUAERITUR.

THESIS XVI. — Unio hypostatica humanae naturae Christi cum Verbo 1) non inde repetenda videtur quod a Verbo suppleretur vel ejus existentia, 2) vel modus aliquis physicus subsistentiae, 3) sed tantum ex eo quod Verbum ad eam virtualiter extendit suam functionem hypostaticam, et sic ipsa per actuationem potentiae obedientialis incipit haberi a Verbo.

Quomodo humana Christi natura, licet completa in se, non sit persona in se seorsim subsistens, sed veluti pars Verbi hypostatica, alii aliter explicare conantur. Tres sententiae praecipuae.

I. — **1ª Sententia :** Ideo natura humana Christi propria personalitate destituitur, quia non existit existentia propria, sed *existentia Verbi.* Ita multi Thomistae ; ita Billot, p. 55 ; Terrien, *de unione hypost.* — Qui, supponentes realem distinct. inter essentiam et exist., aiunt suppositum creatum constitui naturaliter his duobus, 1° natura singulari, completa in ratione essentiae et habente principia individuantia secum realiter identificata, 2° existentia hujus naturae, seu actu existendi, qui recipitur in natura tqm in propria potentia, eamque facit subsistentem ; addunt vero naturam Christi humanam proprio actu existendi carere, et trahi ad esse Verbi, ac proinde ad subsistentiam divinam ejusdem. — Sententia

haec probatur, 1° ostendendo eam non repugnare, licet mysterium involvat ; 2° eam optime tueri dogma ; 3° et quidem solam, quippe quae sola, ponendo unicum actum existendi substantialem,det rationem cur in X° sit unum esse subsistens.

N.B. Plures Thomistae, licet admittant cum praecedentibus naturam Christi humanam divina Verbi existentia actuari, unionem tamen formaliter repetunt **ex modo physico.**

Sententia haec **rejicitur** tqm *probabilius falsa :*

1° *Ex falsitate suppositi,* non tantum quod detur distinctio realis inter ess. et exist , sed etiam quod *una natura possit existere existentia aliena* seu habere suam realitatem ex participata realitate alterius — hic,personae divinae — a quo manet tamen, ut realis natura, realiter ac totaliter distincta.

2° *Ex parte personae assumentis : tota Trinitas incarnaretur,* cum existentia divina sit una Tribus communis, et existentia, quae excogitatur habita modo relativo filiationis, proindeque solius Filii propria, vel non dicat nisi personalitatem Filii, vel, si concipiatur ut virtualiter ab hac personalitate distincta, non possit dici communicata formaliter eo ipsa quod personalitas ista formaliter communicatur.

3° *Ex parte naturae assumptae :* nat. Christi humana est *creata :* ergo habet exist. creatam, id est, per effectionem extra causas prodiit.

4° *Ex perfecta similitudine humanitatis Christi cum nostra,* quae, ubicumque est tota et realis, habet existentiam realem. *Nec dicas :* Ergo Verbum etiam personalitatem humanam assumpsit, siquidem omnis realis humana natura habet etiam realem personalitatem. — Consequentia enim staret, si personalitas esset aliquid reale in reali natura ; deest vero, si personalitas non sit nisi ipsa realis natura non assumpta, nam, hoc supposito, eo ipso quod dico naturam realem assumi jam simul dico non assumi personalitatem, quippe quae eo ipso absit.

5° *Ex refutatione rationis* qua ultimatim illa opinio fulcitur, scilicet : *esse quo subsistitur,* quod fides docet esse *unum in Christo,* est *substantialis actus existendi.* Nam ea sane subsistere dicuntur, eaque sola, quae habent sibi suum esse quo subsistant ; at inde non sequitur ea non habere esse quo existant,quae illud non habeant *suum* seu *quo subsistant.*Aliud est enim *existere simpliciter* et *existere sibi* seu in se.«Illud esse,ait S.Thomas *(Quodl.*IX.a. 3) quod est actus entis in quantum est ens, id est, quo denominatur aliquid ens actu in rerum natura ... attribuitur [quidem] soli substantiae per se subsistenti sicut ei quod proprie et vere habet esse vel est Omnia vero quae non per se subsistunt, sed in alio et cum alio, sive sunt accidentia, sive formae substantiales aut quaelibet partes, non habent esse ita ut ipsa vere sint,sed eis attribuitur esse ». Cum ergo, ut addit D.Th., « humanitas Christi concurrat ad integritatem illius unius rei — Christi — quam solam dicimus subsistentem », esse debet attribui illi, non quidem illud esse substantiale quod proprie attribuitur supposito, quo scilicet aliquid vere et proprie est, sed quo tamen denominetur ens actu in rerum natura, esse simpliciter, uno verbo, seu existentia. « Habet enim unitatem Christus ex

ipso supposito, et non ex naturis » (*Ibid.* et *cf.* III. *q.* 17.*a.*2. c ; *in* III. *Sent. dist.* VI. *q.* 2. *a.* 2 *ad* 1^m ; *q.* 1. *a.* 2. *ad* 5^m).

II. — **2ª Sententia** : Nat. hum. ideo in Christo propria personalitate destituitur quia *caret modo quodam physico substantiae ab ipsa realiter distincto, isque a Verbo suppletur.* — Est *probabilis*, eamque tenent satis communiter theologi inde a saec. 15 cum Suar. VIII, 3 ; Lugo, etc. Eam vero rejiciunt Scotistae, Albert M., Victoria, D. Soto ; inter NN. Molina (I. q. 29. a. 1, d. 2) ; Ulloa, *log. maj.* p. 316 ; Tiphanius, celebri opere speciali ; Petavius ; Antoine, initio tractatus ; Platel (n. 208) ; Franz (*th.* 26-31) ; Hurter (*th.* 150) ; Kleutgen ; Stentrup ; P. 86 ss. ; etc.

Duobus praecipue argumentis nititur : 1° quod humana natura, ut careat personalitate, debet destitui aliqua realitate sibi connaturali ; 2° ut uniatur substantialiter cum Verbo, debet esse in se incompleta,ita ut ab eo substantialiter compleatur. Sed haec argumenta et alia eluduntur a sententia tertia : quare cum nihil, praesertim id quod est intellectu valde difficile, sit sine ratione admittendum, modus ille videtur rejiciendus, utpote inutilis sive philosophice, sive theologice.

III.—**Probatur 3ª sententia** : *humanam naturam Christi ideo carere propria personalitate, quia assumpta est a Verbo extendente ad ipsam functionem suam hypostaticam.*

Personalitatem connaturalem asserimus non constitui aliqua realitate *superaddita* naturae concretae, sed ipsa *sua totietate in se*, quatenus, completa in ratione naturae, nec unitur nec exigit uniri alteri tanquam pars ejus, licet fortasse servet potentiam obedientialem ad talem unionem. Amittit proinde natura suam personalitatem eo solo quod assumitur a persona superiore veluti pars. — Licet hypostasis non sit aliquid physicum superadditum, est tamen revera aliquid maxime positivum, quamvis negationem unionis includat.

1. **Auctoritate.** Patres et theologi usque ad saec. 16 non excogitaverant illum modum personalitatis, neque explicabant per ejus absentiam carentiam personalitatis humanae in Christo : contra, rem explicabant secundum hanc 3^am sent.(P.89-92 ; Fr.269-284 ; Petav.III,14).Pro omnibus sit S. Thomas : « Hoc quod facit conjunctum ex anima et corpore esse hominem, non est, praeter animam et corpus et unionem, aliquid positive ; sed ex hoc ipso quod ipsum compositum ex anima et corpore non adjungitur alteri subsistenti in natura composita, sequitur quod conjunctum sit homo. Unde, si Christus humanam naturam quam assumpsit deponeret, ex hoc ipso esset homo illud conjunctum ex duabus substantiis » (*in* III *Sent. dist.* VI. *q.* 1. *a.* 2 *ad* 5^m). — « Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicujus quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter additionem alicujus quod est supra humanam naturam, quod est unio ad divinam personam ». « Consumptio [personae hominis] non importat destructionem alicujus quod prius fuerat, sed impeditionem ejus quod aliter esse posset. Si enim humana natura non esset assumpta a divina persona, natura humana propriam personalitatem

haberet ; et pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie, quia persona divina sua unione impedivit ne humana natura propriam personalitatem haberet » (III. *q.* 4. *a.* 2 *ad* 2m et 3m).

2. **Ratione.** Ea sententia praeferenda est, quae et in se est multo simplicior, nihil gratuito supponens, et praeterea tuetur omnia dogmatis puncta quibus tuendis instituta est. Atqui haec 3a sent. : — a) *simplicior est :* nihil addit dogmati ; sed illud exponens per id ipsum quod in ipso habetur, simplicissimam solutionem praebet variis quaesitis, ad pleniorem unionis intellectionem pertinentibus... — b) *tuetur omnia dogmatis hujus puncta,* non quidem explicando mysterium, sed in ipso mysterio ostendendo variarum quasi partium harmoniam inter se, et concordiam cum notionibus philosophicis : v. g. cur nat. hña careat propria personalitate, non autem Verbum ; cur non appareat repugnantia in illa unione inter naturam, completam in ratione naturae, et Verbum divinum : quia nat. hña, etiam completa, est in potentia obedientiali ad compositum personale cum Verbo, et actuatur haec potentia per extensionem virtutis Verbi ad ipsam...

3. **Solutione difficc.,** quas v. apud Suar *Metaph.* XXXIV, 2-4 ; Lugo XII. — **a**) *Haeretici* errabant, asserendo identitatem naturae et personae, non ideo quod negabant distinctionem realem, sed ideo quod *negabant omnem distinctionem etiam formalem,* ejusque fundamentum, quod est unio duarum naturarum in una persona. — **b**) Duae substantiae completae non possunt constituere unum *per se : Dist.:* naturale, *conc. ;* supernaturale, *subd.*: si una habet potentiam obedientialem ut substantialiter perficiatur unione cum altera, *n.* secus, *c.* — **c**) Quae possunt realiter separari, realiter distinguuntur : *Dist.*: si separantur per ablationem physicam unius ab altero, *c.*, si per additionem tantum alicujus tertii, *n.* : tunc enim sufficit distinctio rationis. Cf. P. 93-94.

Scholion et Corollarium. — Quaeritur ulterius an *unio* sit formaliter aliqua qualitas, an aliquis modus physicus, an merus respectus unitorum. Omnes consentire debent eam *non esse qualitatem* (*q.* 2. *a.*10) ; multi docent, cum Suarez, esse probabilius *modum physicum ;* alii tandem aiunt esse ipsam personam Verbi et humanitatem *respective* sumptas, sine modo superaddito. Ita W. n. 255 ; P. 98. Inter duas posteriores sententias, ita res componenda videtur. Verbum unitur *immediate per seipsum,* incipiens terminare naturam humanam, quatenus, sine sui mutatione, ad eam *extendit suam functionem hypostaticam.* Natura humana et ipsa unitur immediate, non mediante aliquo modo, veluti unioni praevio atque ab extremis unitis distincto (W. 255 ; P. 101, 102). Non tamen diffitendum est ex unione ipsa oriri humanitatis mutationem physicam : aliter enim se habet, etiam physice, cum unitur Verbo, quam si seorsim existeret non ei unita. Cf. Terrien, *de Inc.* p. 546. et D. Th. in III. *dist.* 2, *q.* 2, *a.* 2 *sol.* 1 et 3, et III. *q.* 2. *a.* 7 et 8.

Influxus vero hypostaticus Verbi non videtur esse sustentativus naturae humanae in esse, quasi ad modum causae efficientis, ut explicant

W. n. 257, 265 ; sed potius, ut ait SUAR. (VIII, 3, n. 22), videtur referendus, demptis imperfectionibus, *ad speciem causae formalis :* siquidem Verbum se immediate communicat humanitati in ratione hypostasis, sicut anima corpori in ratione formae. Non tamen Verbum dicendum est forma humanitatis, quia non est perfectibile, ut forma per materiam, sed dicendum actus hypostaticus humanitatis.

§ III. PROPRIETATES QUAEDAM HUJUS UNIONIS EXPONUNTUR.

THESIS XVII. — Unio hypostatica est 1) supernaturalis, 2) substantialis, 3) maxima in ratione unionis et doni, 4) indissolubilis.

I. **Est supernaturalis intrinsece.** — N. B. Unio hypost. est quid creatum, quatenus est relatio realis creaturae ad Verbum in quo subsistit (III. *q.* 2. *a.* 7) ; est donum seu gratia (III. *q.* 2. *a.* 10 et *in.* III. *dist.* 13. *q.* 3. *a.* 1. *ad* 2[m]) et quidem sub aliquo respectu gratia increata (III. *q.* 2. *a.* 11 ; *Cont. G.* III, 41). — Hic dicitur supernaturalis *in seipsa*, nec tantum origine aut fine, et *quoad substantiam*, non tantum secundum modum quo producitur.

Probatur ut *theologice certum.* — 1° Transcendit vires et exigentias totius naturae creatae et creabilis. — 2° Secus, nihil esset stricte supernaturale, cum homini cui deberetur unio hypostatica deberentur, ut videbimus, omnia supernaturalia. — 3° Est magis supernaturalis quam quaelibet alia res, quia magis participat esse divinum : constituit esse supernaturale substantiale, dum alia constituunt tantum accidentale (cf. S. AUGUST. *in Joan. tract.* 82. M. 35, 1844).

Aliquando dicitur a PP. *naturalis Christo*, quatenus ipsi congenita et habita inde a nativitate ; quatenus physica est et non moralis ; quatenus constitutiva ejus esse personalis. — At *Verbo* qua tali non est neque naturalis neque supernaturalis ; potest ei dici praeternaturalis.

II. **Est substantialis** : i. e. 1° Non est pure moralis : *de fide*, contra Nestor. 2° Debet denominari substantialis, non accidentalis : *certum theologice*, cont. DURAND. (LUGO, XI, n. 37).

1° Contra Nestorium, explicite Concil. Lateran. sub Martino I (D.B. 259, 261). Ratio th. : constituit unum substantiale ; fitque, vi illius, praedicatio concreta substantiae, non adjectiva : Verbum est homo.

2° Contra Durand. : Ejus modus loquendi favet Nestorianismo, contradicit conciliis et Patribus, ipsique verborum sensui (LUGO, n. 4). — Dici tamen potest accidentalis *logice* Verbo, quia ipsi adventitia, non tamen Christo ; neque debet dici ipsi Verbo accidentalis physice, neque accidentalis sine addito.

III. **Est unionum maxima** : 1° *in ratione unionis :* sent. communis, c. Durand. Agitur de unione, qua res distinctae in unum nectuntur, non identificantur, et de gradu intensivo, non extensivo ; consideraturque ex parte ejus in quo fit conjunctio (*q.* 2. *a.* 9). — Illa unio maxima est, in qua

arctissimo nexu constringuntur extrema maxime distantia... — Hinc, unio hypostatica est unio perfectior quam unio visionis beatificae...

2° *In ratione doni.* Certum, c. Durand., qui praefert visionem beatificam. 1. Per eam natura creata participat perfectissimo modo esse divinum, habens idem esse personale cum Deo, ita ut ipsi debeatur idem cultus latriae. — 2. Ipsa est radix omnium donorum...

IV. **Est perpetua et indissolubilis** : tum in vita mortali et post resurrectionem, quod est *de fide*, tum etiam in triduo mortis sive cum corpore et anima, quod est *certum*, sive etiam cum sanguine, quod est *probabilius.*

1. *Praecisione facta a triduo mortis.* — Concil. chalc. (D. B. 148) docet utramque naturam in unam concurrisse personam *indivisibiliter et inseparabiliter.* — Tolet. XI (283). — Ex script. et traditione, haec unio — a) exstitit ab initio, ut probatum est ; — b) nunquam cessavit in vita mortali, cum semper manserit idem Verbum caro factum, in nobis habitans, cujus historiam narrant Evangelistae, et Divinitatem in humanitate praedicant Apostoli ; non cessavit post resurrectionem, quia idem ille Christus ascendit in caelum, etc. — c) numquam cessabit : *Hebr.* XIII, 8 ; *Luc.* I, 33. — Neque contradicit 1. *Cor.* XV, 24 : « Deinde finis », ubi agitur de fine Ecclesiae militantis.

2. *In ipso triduo mortis* mansit unio seorsim cum anima et corpore (*q.* 50. *a.* 2. 3 ; Suar. *de Myst. v. Chr.* XXXVII, 2 ; P. 155). — Infertur ex symbolo. — Probatur ex sensu Ecclesiae, qui constat ex consensu Theologorum ; ex *Catech.* R. *p.* I. *c.* 5, *n.* 8 ; ex Patribus, exceptis *fortasse* paucissimis antiquioribus. — Confirmatur ratione th. a Patribus allata, quod dona Dei sunt sine poenitentia (q. 50. a. 2).

Nota. Corpus Christi mortui remansit idem numero, potiori etiam jure quam cadaver ceterorum, servato eodem supposito. — In illo triduo, Verbum mansit homo mortuus, conjunctum scilicet hypostatice cum corpore et anima separatis.

3. *Etiam cum sanguine effuso in passione probabilius permansit unio Verbi.*

Acerrimam contentionem inter Dominicanos affirmantes et Franciscanos negantes Pius II compressit, indicto utrique parti silentio (D. B. 718). — Sententiae affirmanti adhaerent theologi communius, intelligentes totum sanguinem moraliter, seclusis illis partibus quas resurgens non esset reassumpturus. Cf. Suar. *l. c.* XLVII, 3 ; Lugo, XIV. *n.* 19 ; P. 133.

« Quod Verbum semel assumpsit nunquam dimisit » : intelligendum saltem de integrantibus naturam humanam, quae volebat retinere in perpetuum.

V. diff. apud W. 272-274. — et quaestion. de guttis sanguinis non reassumptis, (W. 275 ; P. n. 133, in nota).

Scholion. — Num **Persona Christi dicenda sit composita**, *cf.* D. Th. III. *q.* 2 *a.* 4 et Pesch n. 129.

Articulus II.

DE UNIONE EX PARTE PERSONAE ASSUMENTIS.

THESIS XVIII. — **Ideo 1) cum solo Filio unitur hypostatice natura humana, quia 2) unio existit immediate cum ejus personalitate, et 3) mediate solum cum natura divina, quare 4) Pater et Spiritus Sanctus non sunt uniti hypostatice humanitati Christi, sed illi inhabitant per circuminsessionem.**

I. **Solus filius naturam humanam assumpsit.** — Tres Personae *effecerunt* Incarnationem ; solus Filius *sibi assumpsit* naturam humanam : assumptio enim dicit, praeter efficientiam unionis, ipsam ejus terminationem per propriam hypostasim. — Non quaeritur utrum Pater et Spiritus Sanctus aliquando assumpserint aliquam naturam humanam, sed, utrum assumpserint,simul cum Filio, humanitatem Christi. *Cf.* Suar. XII, 1.

Propositio est *de fide*, implicite ex *symbolis*, explicite ex Tolet. XI (D. B. 284) et ex *professione fidei* imposita Valdensibus ab Inn.III (D.B.422).

1. *Script.* — a) implicite : semper Filio tribuit assumptionem, aut actiones humanitatis Christi, numquam ceteris Personis... — b) explicite : Christus dicit se esse Filium Dei, non esse Patrem (minorem se dicit Patre, etc.) neque Spiritum Sanctum (ascendit in coelum, ut inde eum mittat visibiliter, etc.). Item Apostoli semper docent eum esse Filium, Verbum incarnatum, distinctum a Patre et Spiritu Sancto.

2. *Traditio Patrum.* Ubique docent Filium incarnatum ; rationes aliquando indicant cur Filius,non Pater aut Spiritus Sanctus, fuerit incarnatus...

3. *Rationes congruentiae* (*q.* 3. *a.* 8. Cf. Monsabré, t. 8, p. 196) a) ex affinitate uniendorum ; b) ex fine unionis, qui est adoptis filiorum ; c) ex proprietatibus Filii seu Verbi. d) Quomodo non repugnet solum Verbum incarnari, indicat 2ª pars : quod unitum sit naturae humanae secundum personam immediate.

II. **Verbum unitum est humanitati primario et immediate (formaliter) secundum personalitem** (W. 277, Fr. 284).

Hypostasis Verbi a Natura ejus divina distinguitur ratione cum fundamento intrinseco (siquidem Hypostasis sua est ipsi propria, Natura vero communis cum Patre et Spiritu Sancto). Sicut ergo Verbum generatur, quin generetur Natura, ita Verbum potest immediate uniri humanitati, quin ideo eidem immediate uniatur Natura. — Thesi contradixerunt quidam Veteres, qui volebant unionem fieri etiam immediate cum Natura. Sed « est sententia (quam hic proponimus), ita *certa*, ut contraria nullo modo probabilis existimanda sit ». (Suar. XII, 2).

1. *Auctoritate* : — Conciliorum : Tolet. VI et XI ; (D. B. 284). — Patrum (W. 279, s.) — S. Thomae (III. q. 3. a. 2).

2. *Ratione th.* — a) **Positive :** — 1° Ex ipsa notione unionis in persona et non in natura. Verbum unitum est naturae per id quod eam substantia-

liter complet. Atqui complet eam per suam personalitatem.— Aliter : Unio facta sec. personam requirit tantum ut nat. hum. remanens eadem fiat Verbi ; unio vero sec. naturam postularet illam fieri naturae constitutivum substantiale, quod repugnat absolute. Unio sec. personam incomprehensibilis etiam sane est, sed fide docetur et non potest probari evidenter repugnans. — 2° Ex unione ut exclusive propria Filii ; nam, si unio facta esset primario et immediate in natura seu in aliquo absoluto, tota Trinitas incarnata fuisset.

b) **Negative :** Ideo unio fieret etiam in natura immediate, quia 1° opera Dei ad extra sunt tribus Personis communia ; et praeterea omnia sunt tribus communia, ubi non obviat relationis oppositio ; 2° idem sunt re Natura et Persona Verbi ; 3° Ecclesia definivit unionem utriusque naturae ; et, si quid impedit unionem immediatam in natura, idem videtur impediturum etiam mediatam : sicut,id quod impedit quominus natura Verbi dicatur immediate genita impedit etiam quominus dicatur genita mediate ; 4° etsi unio terminaretur immediate a Natura divina, non ideo videtur sequi tres Personas esse incarnatas, sicut,licet Natura identificetur Filio, non ideo ceterae Personae habentes eamdem Naturam identificantur Filio. — Atqui haec omnia non probant unionem fieri immediate cum Natura. Sic enim R. : — **1°** Opera Dei ad extra sunt communia, quoad efficientiam, *c.* ; quoad terminationem, *n.* ; — omnia sunt communia tribus praeter propriam personalitatem : ad intra, *c.* ; ad extra, *sd.*: si conveniant ratione praedicati absoluti, *c.* ; si ratione relativi, *n.* — **2°** Natura et Persona sunt idem re, ita tamen ut distinguantur ratione cum fundamento, et una simplicissima res infinita habeat duplicem functionem, unam absolutam, alteram relativam aeque vere ac duplex res finita. — **3°** Ecclesia definivit unionem naturarum, sed mediatam ; — quod vero impedit unionem earum immediatam, non impedit mediatam : ad hanc enim sufficit identitas realis Naturae divinae et Personae, dummodo non adsit impedimentum aliunde ; et evidens est disparitas cum comparatione allata ; natura enim Verbi non potest produci, quia hoc repugnat Naturae divinae, et quia sic natura Filii distingueretur realiter a natura Patris... — **4°** Ad intra, relationis oppositio impedit identificationem Personarum ; ad extra, nihil posse impedire quominus id quod convenit immediate divinae Naturae, conveniret aequo jure singulis Personis. Nihil enim esset oppositionis in hoc quod natura terminaret humanitatem.

III. **Natura divina est unita humanitati mediate,** mediante scilicet Persona Verbi, proinde secundario, consecutive, propter identitatem realem cum ea.

1° Quod sit unita saltem mediate, est *de fide* propter Concilia LATERAN. sub Mart. I (D. B. 259-260) ; TRID. (876).

2° Adest unio mediata, si Natura est identica realiter cum Persona Verbi quae immediate unitur,et nihil adsit quod impediat unionem adesse mediatam. Jamvero hanc unionem non potest impedire sola distinctio vir-

tualis, nulla existente ceterum repugnantia contra hujusmodi unionem mediatam. Non enim est evidens repugnantia in hoc quod uniatur mediate, ratione personae, dum econtra repugnat evidenter quod etiam mediate natura divina Verbi sit genita.

IV. **Quare Pater et Spiritus Sanctus non sunt uniti humanae naturae neque mediate ;** sed illi modo specialissimo inhabitant, per circumincessionem.

1. Quod non immediate, jam probatum. Quod nec mediate, probatur : quia id tantum est unitum mediate quod est identicum cum Filio, non illi qui realiter ab eo distinguuntur. Jamvero natura divina,quatenus identica cum Patre, realiter distinguitur a Filio (*q.* 3. *a.* 2 *ad* 1).

2° Illi inhabitant, non solum titulo omnibus rebus communi, aut titulo speciali justis aut titulo proprio ratione unionis activae, sed praesertim propter identitatem naturae cum Verbo. Iisdem porro titulis insunt in Eucharistia.

Scholion. Vide varia quaesita apud S. Th. *q.* 3, cf. Platel, n. 179. ss.

Articulus III.

DE UNIONE EX PARTE NATURAE ASSUMPTAE.

THESIS XIX. — Verbum assumpsit secundum hypostasim non solum animam sed 1) **etiam corpus, imo et** 2) **sanguinem,** 3) **ceterasque partes humanae naturae integrales,** 4) **omnes quidem simul tempore, sed cum aliqua prioritate sive dignitatis, sive intentionis, sive executionis** (3, *q.* 5. *a.* 2 ; Suar. XV, 5-8).

Constat ex th VI. Verbum non animam solum, sed corpus omnesque partes ejus assumpsisse. Sed quaeri potest utrum assumpserit corpus et partes ejus sec. hypostasim (i. e. immediate, illa directe terminando) an in hypostasi ttm (i. e. mediate, quat. terminat aliud cui conjunguntur).

I. **Assumpsit corpus sec. hyp.** *Prox. fidei.* Ratio est q. secus non factum esset homo, nec, a fortiori,caro : non subiisset passionem ; non esset sepultum... In hoc enim consistit τό uniri hypostatice quod quidquid, sive constitutive, sive elicitive est assumpti sit subjective assumentis.

II. **Etiam sanguinem.** *Certum* est. — 1. Script. eodem modo loquitur de sanguine et de corpore Christi ; imo ipsi propter infinitum pretium tribuitur redemptio nostra. — 2. Concilia et Patres clarius etiam idem docent, praesertim vero Clemens VI (D. B. 550).— 3. Ratio th. Christus assumpsit secundum hypostasim integrum hominem, ac proinde omnes partes sine quibus corpus non est corpus humanum vivens. Talem vero esse sanguinem constat 1° sensu communi et experientia ; 2° sanguinis existentia in corpore resurgentium; 3° affirmatione Tridentini, sanguinem esse partem Christi, naturaliter corpori copulatam. — (Vide diffic. W. 311-318).

III. **Verbum partes quoque reliquas integrales immediate assumpsit** (W. 308 ; P. 134) : eas scilicet omnes, quae ita sunt de integritate corporis, ut in ipso subsistant ipsa subsistentia personae humanae : ratio est, quia Verbum in Christo gerit vices personae humanae : tales sunt caro, ossa, nervi, arteriae, membranae, sanguis, lympha, probabilius ungues et capilli. — Ceterae vero partes, quae sunt in corpore, quin ad ejus integritatem pertineant, subsistuntque subsistentia propria, quae proinde neque erunt in corporibus glorificatis, neque sunt in Eucharistia, eae non sunt immediate assumptae : tales sunt sudor, lacrymae, alimenta, etiam transformata, antequam accipiant formam sanguinis,etc. His adde accidentia, quae sunt assumpta mediante solum substantia (SUAREZ, XV. 8).

IV. **De ordine assumptionis partium :** quaestio utilis,ut intelligatur ratio proxima cur singulae partes assumptae sint. Cum vero sit ordo temporis et naturae, dico : (cf. III. q. 6. *a.* 1 et 4-6).

1° *Non datur ulla prioritas temporis* in assumptione alicujus partis prae aliis : est *fidei proximum*, tum ex documentis ecclesiasticis (W.309) tum ex ipsa Scriptura, ex qua Verbum conceptum est homo ; tum ex PP.: v. S. DAMASC. (M. 94, 987) ; S. LEO M. (M. 54, 807).

2° *Datur ordo naturae* : 1° Sub respectu dignitatis partium ac proinde congruentiae ut assumantur ; 2° sub respectu intentionis, secundum quod assumens aliquid prius intendit ; (hoc utroque sub respectu Patres dicunt corpus assumptum mediante anima, et animam mediante mente) ; 3° sub respectu executionis, in qua illud prius natura dicitur a quo cetera in executione pendent. Sub hoc respectu partes inter se comparari nequeunt nisi in ordine praeparationis assumptionis. Nam, etsi corpus natura prius est quam anima, et anima prius quam unio cum corpore, tamen unio utriusque non est necessario prius natura quam unio compositi cum Verbo. Id enim assumitur quod fit et tunc praecise quando fit. Fit autem natura humana et fit praecise quando corpus et anima inter se uniuntur. Ergo simul et inter se et cum Verbo uniuntur. (Cf. III. q. 6. *a.* 5 et LUGO : *Disp.* XV; VASQUEZ ; *Disp.* XXXVII cp. 7 et 8 et XXXIX).

Sectio IV.

DE CONSECTARIIS UNIONIS 1° PRO COMPOSITO THEANDRICO.

Praecipua sunt communicatio idiomatum, divina filiatio naturalis, cultus latriae.

Articulus I.

DE COMMUNICATIONE IDIOMATUM.

THESIS XX. — 1) **Datur in Christo vera et realis communicatio idiomatum in concreto,** 2) **non vero in abstracto.** 3) **Quare turpiter decipiuntur Ubiquistae.**

Praenotanda. 1° Ἰδίωμα *ontologice* est proprietas, attributum ; *logice* est praedicatum quodlibet seu id quod ita ad aliquam naturam pertinet ut de habente naturam praedicari possit. Hic agitur directe tantum de idiomate logico sed ipso facto loquemur etiam implicite de idiomate objectivo, quod eo praedicato exprimitur. Ceterum quaestio objectiva jam soluta est. Cum Christus sit Deus et homo, habeat proinde attributa divina et humana, restat tantum ut praedicatio logica sit conformis doctrinae.

2° Communicatio idiomatum in Christo definiri potest : divinorum et humanorum praedicatorum praedicatio aut mutua de se invicem, aut de supposito et toto, ratione unitatis personae in duabus naturis ; v. gr. duo praedicata, Deus, homo possunt dici mutuo unum de altero : Deus est homo, homo est Deus. Possunt dici de supposito : Verbum est Deus, Verbum est homo ; de toto etiam : Christus est Deus, Christus est homo.

3° Sed praedicata alia sunt concreta, alia abstracta. Nomina concreta exprimunt simul subjectum et formam seu rectius subjectum habens formam aut,ut alii dicunt, supponunt pro subjecto seu supposito et significant formam.Abstracta vero *supponunt* pro forma quam et significant,quin exprimant subjectum habens formam. Hinc intelligitur cur, sicut ait thesis, communicatio idiomatum non possit fieri nisi in concreto seu de concretis : si fieret inter abstracta, jam confunderentur naturae nec tantum affirmaretur unitas personae in duabus naturis.

4° Thesis — quoad rem ipsam — est *de fide* contra adversarios ad extremum oppositos, Nestorianos et Eutychianos.

I Pars. — Probatur. 1° Iisdem argumentis quibus probata est tum unitas personae tum dualitas naturarum.

2° Ratione fundamentali : Ea praedicatio vera et propria, quae exprimit id quod vere et realiter existit in objecto. Atqui talis praedicatio fit in communicatione idiomatum : etenim unum suppositum habet naturam divinam et humanam, et hoc ipsum exprimitur in communicatione idiomatum concreta, nam nomina concreta designant subjectum habens formam ;

proinde dicendo : Deus est homo, dico suppositum habens naturam divinam esse suppositum habens naturam humanam...

Hae tamen limitationes addendae : 1° ne communicentur praedicata negativa, quando hac communicatione removeretur proprietas quam habet natura altera ; 2° ne praedicetur de natura quod solum de persona verum est, et vicissim ; 3° ne concretum unius naturae praedicetur qualificative de altera aut de toto : sic enim indicaretur unio accidentalis ; 4° concreta non praedicentur reduplicative de altera natura ; 5° vitentur denique, de Persona aut de toto,eae praedicationes quibus innueretur adesse personam humanam, aut naturam humanam abesse.

Difficultates. 1° Ex communic. idiom. dici posset : Hic homo est Deus. Sed Verb. factum est hic homo. Ergo V. factum est Deus. — **Resp.** a) Adsunt 4 aut 5 termini, nempe, homo, Deus, Verbum, factum hic homo, factus Deus. — b) In forma si poneretur, hoc adesset : Quod factum est hic homo est Deus. Atqui V. est quod factum est hic homo. Ergo V. est Deus.

2° In hac propositione : Deus est homo,non datur identitas enter subj. et praedicatum. — **Resp.** Datur identitas inter rectum subjecti et praedicati, quae soia requiritur et sufficit ut detur communicatio idiomatum.

3° Haec : Deus est homo, non est propria, saltem non aeque propria ac : Petrus est homo ; haec enim est necessaria et essentialis,dum : Deus est homo,nec necessaria est nec essentialis. — **Resp.** Propositio est propria, quae rem exprimit sine metaphora ; necessaria est, quae affirmat praedicatum subjecto conveniens; necessaria essentialiter, si praedic. subj. convenit ex essentia rei ; necessaria hypothetice si praed. subj. convenit ex facto libere posito. Praedicatio substantialis est quae affirmat praedicatum quod subj. convenit substantive, etsi forte non essentialiter. — Janvero haec propositio : Verbum est homo, est vera, propria, hypothetice necessaria et substantialis.

4° Tres div. personae magis conveniunt in natura quam duae naturae Christi in persona, et tamen non datur communicatio idiomatum. — **Resp**. Negatur paritas, quia deest unitas subjecti in qua fundatur communicatio idiomatum.

Corollaria. I. De circuminsessione duarum naturarum in Christo. Valde minor est quam inter personas divinas. Attamen cum duae sint naturae distinctae unitae in eadem persona, Verbum habet sibi immanentem, utpote substantialiter unitam, naturam humam; hic homo habet nat. divinam identificatam cum hypostasi (Cf. FRANZELIN p.342) — II.Formula : « *Unus de Trinitate passus est, crucifixus est* », recta est, imo ab Ecclesia solemniter approbata (D.B. 222), etsi olim damnata quia sensu eutychiano propugnabatur (Cf. FRANZELIN p. 347 et P. n. 174).

II **Pars : Non datur communicatio idiomatum in abstracto.** Abstracta unius naturae non praedicantur de abstractis aut concretis naturae alterius, nec concreta de abstractis, ut : Deitas est humanitas, Deus est humanitas, Deitas est homo ; ratio est, quod ita, ex lege sermonis, affimaretur identitas utriusque naturae, aut identitas hypostasis Christi cum natura humana, aut incarnatio naturae divinae, siquidem abstracta supponunt pro forma, concreta pro supposito. Si ergo aliquando legitur apud Patres : Divinitas est nata, locutio est impropria, et Divinitas ibi ponitur pro Deo, vel pro persona divina.

Partes etiam, quae praedicantur ad modum abstractorum (formae sine subjecto) non admittunt communicationem idiomatum ; sic neque in triduo mortis dici potuit : hoc corpus est Deus, haec anima est Deus.

III Pars.Quare **turpiter errant Ubiquistae** (W.335; *Cf*.Bell.III,9.ss.),scil.ii Lutherani qui, ut defenderent contra Calvinistas corpus Christi esse praesens realiter in Eucharistia, licet absque transsubstantiatione, finxerunt humanitatem ejus esse ubique, et, generaliter, induisse arcano modo omnes proprietates Divinitatis, ita ut vere, et modo a nobis non scrutando, humanitas sit Deus, immensa, omnipotens, omniscia, et quidem per ipsa attributa Divinitatis in ipsam transfusa.

1. *Arg. generalia :* Ubiquistae adstruunt purum Eutychianismum, confundendo proprietates naturarum post unionem, contra Concil. Chalc. — Consequenter et logice docere debent Christum secundum humanam naturam non esse passum aut mortuum.

2. *Arg. specialia contra Ubiquitatem* (W. 339). — a) Repugnat Scripturae, verbis Christi, affirmationibus Evangelii... b) Multis articulis fidei... — c) Nec possunt dicere Christum non habuisse ante resurrectionem usum expeditum horum attributorum : 1° enim plures textus negant eum habere secundum humanitatem haec attributa in ipsa vita gloriosa ; 2° ubiquitas est essentialiter in actu secundo, seu in actuali exercitio praesentiae universalis ; quod valet etiam evidentius de quibusdam aliis attributis, v. g. impassibilitate et immortalitate. — d) S. Augustinus, *epist.* 187, *de praesentia Dei*, aperte refellit ubiquetismum, *cc.* 10 et 41 : *c.* 10 : « Cui immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ita Divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem auferamus corporis.Non enim est consequens ut quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus ».

Articulus II.

DE DIVINA FILIATIONE CHRISTI HOMINIS.

THESIS XXI. — Christus, etiam ut homo, est Filius Dei naturalis, et sub nulla ratione adoptivus.

Filius adoptivus est persona (non genita ab adoptante) quae gratis assumitur in jura filiorum, speciatim in haereditatem. Adoptio enim est gratuita et libera personae extraneae in haereditatem assumptio. Adoptio divina fit infusione gratiae sanctificantis, quae est vera regeneratio, sed non conferens filiationem naturalem.

Christus, non tantum ut Deus, est Filius Dei naturalis, quod nemo Christianus negat, praeter Arianos, sed etiam ut homo, i. e. ut Verbum subsistens in natura humana, quod negaverunt Adoptiani, ita instaurantes revera nestorianismum. Quare damnati sunt ab Adriano I annis 785 et 793 (D. B. 299 309-310), atque a synodo Francofordiensi, a. 794 (311, 313, 314.)

In hac affirmatione : Christus, ut homo, est Filius Dei naturalis, illud « *ut homo* » sumitur *specificative :* specificat naturam etiam humanam considerari in supposito ; idem dicit quod Verbum subsistens in natura humana ; sed non sumitur *reduplicative* formaliter, quo significaretur naturam humanam esse rationem divinae Filiationis. — Haec doctrina est *de fide*, et sententia Adoptianorum est haeretica.

Alio sensu quidam theologi veteres, inter quos Durandus et plures Scotistae. affirmabant Christum posse dici, qua homo est, filium Dei *adoptivum*, sensu *reduplicativo formali*, quia natura ejus humana fuit et gratuito assumpta ad unionem, et dotata gratia sanctificante. Eorum doctrina rejicienda est ut *falsa*.

Probatur thesis :

1. *Scriptura* Christum, etiam subsistentem in natura humana, vocat Filium Dei proprium, naturalem, v. gr. in baptismo Christi, in transfiguratione et in confessione solemni Petri ; nullibi adoptivum.

2. *Patres* (W. 429 ; P. 181-183) affirmant Christum hominem esse Dei Filium ex Patre natum, esse ipsum Verbum, esse Filium naturalem et non adoptivum ut nos ; esse, etiam sec. carnem, Filium Patris, non totius Trinitatis. — Aliquando tamen utuntur nomine adoptionis, sed sensu improprio, ut significent assumptionem humanae naturae gratuitam. (W. 432 ; P. 183). — Adde *definitionem* concilii Francof. supra indicatam, quae directe damnat Adoptianos, et ejusdem *doctrinam* atque *argumentationem*, quae contradicit opinioni theologorum superius memoratorum.

3. *Ratio th.* — **a**) Christus, ut homo, est Verbum subsistens in natura humana. Atqui Verbum subsistens in natura humana est Filius Dei naturalis et non adoptivus. — **b**) Adoptio cadit solum in personam extraneam ; proinde, affirmare adoptionem Christi est negare vel ejus divinitatem cum Ario, vel unitatem personae cum Nestorio. — **c**) Si Christus ut homo esset Filius Dei adoptivus, jam Maria esset mater filii Dei adoptivi, sed non Mater Dei.

Adde **contra Durand. et alios** : Denominatio Filii adoptivi Christo attributa est contra omnem modum loquendi Scripturae et Patrum, contra sensum proprium juridicum et theologicum vocis adoptionis, favet haereticis. Nec refert quod habeatur in natura Christi humana ratio sufficiens hujus denominationis : ipsa Persona est adoptionis incapax. — Adoptio sane est effectus formalis gratiae sanctificantis, sed secundarius, proinde impedibilis ipsa Personae perfectione.

Ratio hujus Filiationis naturalis, est, ut patet, aeterna generatio. Sed manet **quaestio controversa** : An Christus, ut homo, possit dici Filius Dei naturalis etiam ratione alicujus filiationis quae resultaret *in natura humana formaliter ex ipsa sanctificatione substantiali facta per unionem.* Hoc quidem multi affirmant cum Suarez (XLIX, 1), Vasquez (LXXXIX, 14), Platel (379) etc. ; aiuntque eamdem filiationem Dei naturalem habituros Patrem et Spiritum Sanctum, si incarnarentur.

Tamen *neganda videtur haec opinio*, cum Lugone (XXXI, 2), Franz. (356), Pesch (188), et aliis communiter : quia plane ignota antiquis, et non satis consona doctrinae Ecclesiae ; excogitatur enim in Christo duplex Filiatio Dei naturalis, una propria, altera impropria quae nec revera naturalis est, nec adoptiva ; Christus, hac filiatione, esset Filius, non tantum Patris sed Trinitatis. — Si aiunt : Christus, quatenus sanctificatur substantialiter ipsa unione, fit haeres Dei, proinde Filius ejus ; non adoptivus, ergo naturalis. — R. Per hanc unionem non fit *formaliter* nec filius adoptivus, nec naturalis ; sed unio est conditio, qua posita, ipsa Filiatio, quae est aeterna generatio a Patre, cadit in totum compositum. Unio facit compositum theandricum, et generatio aeterna huic confert Filiationem naturalem ipsius Verbi. Si vero Pater fuisset incarnatus,

non esset Filius Dei, neque naturalis, neque adoptivus ; sed esset Pater homo factus.

Diffic. contra thesim W. 432, ss.

Scholion. An et quo sensu Christus dicatur *servus Dei* (P. 172 ; W. 417 ad prob. 2am, et 434 et Petavius : *De Incarn.* VII. 7-9. — 1° Utrum dicatur servus proprie an improprie, controversia est de voce. Non est *servus stricte* (stricte servus non est sui juris, est inferioris conditionis, non participat in bonis et honore cum domino). Sed est *servus late* (subditus quidem secundum aliquem respectum, sed non extraneus, nec sub omni respectu conditionis inferioris). — Neque ex eo quod sit servus lato sensu, sequitur quod dici possit etiam lato sensu filius adoptivus ; quia filiatio naturalis omnino excludit adoptionem, non autem omnem servitutis modum : potest enim filius esse aliquo sensu servus patris et fratrum, non quidem hypostatice et substantive, sed adjective : « Il n'est pas un serviteur,mais il peut être serviteur de ses frères...».At vero,nullatenus potest a patre suo adoptari : ratio est quod filiatio magis immediate afficit personam, servitus improprie dicta statum personae.

An possit dici *praedestinatus* (W. 437 ; 3, *q.* 24 ; Fr. 371). Certe 1° praedestinata est (ab aeterno praeordinata in mente divina) ipsa Verbi incarnatio ; 2° humanae naturae Christi praedestinata est gratia unionis, et ipsa natura est praedestinata ad unionem, et consequenter ad omnes gratiae et gloriae thesauros. Sed, potestne dici Christus homo praedestinatus ut esset Filius Dei, quod significare videtur vulgata (*Rom.* I. 4) ? Potest, non tamen ita ut ipsi Personae praedestinata dicatur divina Filiatio, sed ut praedestinata intelligatur ipsa unio hypostatica, ex qua hic homo Christus est Filius Dei ; vel etiam ita ut asseratur huic homini Christo, cujus hypostasis tantum vage cogitatur, praedestinata divina Filiatio.

Articulus III.

DE ADORATIONE CHRISTI.

Agemus de adoratione Christi hominis in genere, et de cultu SS. Cordis in specie.

§ I. DE ADORATIONE CHRISTI HOMINIS IN GENERE.

THESIS XXII. — 1) **Humana Christi natura, Verbo hypostatice conjuncta, uno eodemque latriae cultu absoluto adoranda est quo Verbi Divinitas ;** 2) **imo adorari potest signate tum in diversis suis partibus, tum in variis vitae suae actionibus aut mysteriis.** (*q.* 25. *a.* 1. 2 ; Fr. 456 ; P. 159).

Praenotanda. 1. *Adoratio,* late dicta, est cultus quem alicui reddimus propter ejus excellentiam nostra superiorem. Consistit formaliter in actu et signo submissionis, sed praesupponit agnitionem speculativam et practicam hujus excellentiae, et volitionem hujus actus submissionis.Objectum formale adorationis est excellentia, propter quam defertur ; objectum materiale, tota persona. — Dividitur adoratio, 1° secundum objecta formalia, in civilem et religiosam ; et haec, in latriam et duliam ; dulia vero, in duliam simplicem et hyperduliam. Agimus nunc de sola *latria,* quae etiam vocatur *adoratio stricte dicta.* — 2° juxta modum quo objectum materiale habet in se objectum formale, in absolutam et relativam : ado-

ratio est *absoluta*, quando defertur personae propter propriam ipsius excellentiam ; *relativa* tribuitur personae vel rei propter excellentiam alterius personae, quam repraesentat aut quacum habet connexionem.

2. *Objectum formale* adorationis Christi est divina excellentia Verbi ; *materiale*, totus Christus : proinde ipsa humanitas dicenda est objectum materiale partiale et secundarium ; adoratur enim in se simul cum Divinitate, sed propter eam ; et haec adoratio est absoluta, quia adoratur propter excellentiam proprii suppositi, non suppositi extrinseci. Proinde adoratur humanitas ut hypostatice cum Verbo conjuncta.

3. Adorantur ita omnes partes humanitatis. Imo, potest una pars *signate* adorari, sed adoratione ad totum Christum *exercite* directa : ut, quando osculor manum alicujus... Tunc illa pars non separatur aut praescinditur a toto composito et a Verbo, ratione cujus adoratur. Idem dicendum de variis mysteriis, ubi adoratur ipse Christus, in illo mysterio consideratus.

I. **Humana Christi natura debet una adoratione absoluta latriae adorari cum Verbo.** — *De fide*, vel solum *proximum fidei* : quia definitiones conciliorum possent *utcumque* intelligi de adoratione Verbi ipsius, humanitati attributa per solam communicationem idiomatum : quae tamen interpretatio contorta, et praesertim contraria Patribus. Cf. Lugo, XXXIV, n. 27.

Errores : Nestoriani duplicem adorationem Christi admittebant, unam absolutam Divinitatis, alteram relativam humanitatis ; Eutychiani unam, quia una Natura ; Wiclefitae consentiebant Nestorianis ; Sociniani, negantes Christi Divinitatem, alii nihilominus eum adorant, alii non. Pistorienses Jansenistae reprobabant adorationem humanitatis, et magis ejus partium.

Probatur thesis :

1. *Scriptura* unam adorationem Christi hominis docet, terminatam simul ad Verbum et humanam ejus naturam : *Hebr.* I, 6 ; *Jo.* V, 22 ; etc.

2. Concil. Ephes. (D. B. 120) ; Cp^lm^ II (D. B. 221) ; Pius VI, *c. synod. Pistor.* (D. B. 1561). — *Patres* verbis maxime explicitis docent hanc unam adorationem Verbi et humanitatis ejus, et rationem addunt, quia humanitas est Verbo conjuncta ; quia Christus unus est... sic v. g. S. Athan, (R. J. 795) ; S. Jo. Damasc. (2363) ; S. Ambros. (1285) ; S. Cyrill. : « Incarnatum Dei Verbum, utpote unus existens Filius, non absque sua carne, sed cum illa potius, adoratur, sicut videlicet etiam hominis anima cum suo corpore honoratur ». *(Apol. pro anath.* 8 M. 76. 351 B.)

3. *Ratio.* Cultus qui redditur personae non respicit eam abstracte, sed secundum totam ejus substantiam. Atqui humanitas Christi est Verbo substantialiter conjuncta. Ergo attingitur ea ipsa adoratione qua Verbum adoratur. — Aliter : cultus redditus parti cujuslibet personae, v.g. humanitati Christi, redditur ipsi personae, et personae dignitati debet commen-

surari... Uno verbo : quidquid est suppositi participat honorem supposito debitum.

Scholion. Sed quaeritur an, praeter cultum latriae redditum humanitati propter dignitatem personae, possit ei etiam tribui *cultus hyperduliae*, propter excellentiam creatam. Affirmant multi cum SUAREZ (LIII, 2) ; sed communius alii negant : quia hujusmodi cultus — a) est ignotus Patribus et conciliis ; — b) videtur inconveniens : quia reddere personae cultum inferiorem ei quo digna est, revera est ipsi detrahere, ut si Summo Pontifici redderem honorem diacono debitum. *Cf.* FR. 474, P. 199-202. — *Diffic.* v. apud W. 488 ; P. 203-205.

II. **Christi humanitas adorari potest signate tum in diversis suis partibus, tum in variis vitae suae mysteriis.** (FR. 462, 465).

1. **Explico.** Id *signate* adoratur, ad quod adoratio explicite et magis immediate dirigitur ; *exercite*, id ad quod eadem tandem terminatur, licet implicite et minus directe. Adoratio ipsam personam totam attingit, saltem exercite ; sed potest dirigi signate ad aliquam ejus partem aut aliquem ejus statum, et tunc illa pars, ille status, est objectum materiale immediatum et signatum, quod quidam cum FRANZ. vocant *objectum manifestationis*, quia in ea humanitas colenda sese specialiter colendam manifestat per excellentiam specialem hujus partis, vel status, vel actionis ; talia sunt infantia Christi, vulnera ejus, amor, cor sacratissimum... Tunc vero, licet distinguere duplex objectum **materiale :** 1° *totale*, remotum et primarium, 2° *partiale*, proximum et secundarium ; item objectum **formale :** 1° *generale* et praecipuum, 2° *speciale* et secundarium.

2. **Probo.** - a) Ratione : adorari potest hoc modo, si 1° ex natura rei et experientia vulgari id probatur possibile et licitum ; 2° si adesse potest specialis ratio ita adorandi, ut adest v. gr. pro vulneribus, sanguine, corde, amore. — b) Ecclesiae doctrina et praxi : PIUS VI *contra Pistor.* (D. B. 1561.)

§ II. DE CULTU SS. CORDIS JESU.

THESIS XXIII. — 1) Cor Jesu SS. est cultu latriae absoluto adorabile, existuntque rationes efficacissimae cur specialiter et signate colatur. — 2) Hujus cultus, prout ab Ecclesia fuit approbatus, objectum materiale proximum complectitur et cor physicum et amorem cordis symbolo expressum. — 3) Finis vero cultus est ut fideles ad redamandum Christum atque injurias eidem illatas reparandum incitentur atque adjuventur. — 4) Hinc facile elucet hujus devotionis excellentia, utilitas tque praxis.

NILLES : *de rationibus festorum SS. C. Jesu et purissimi C. Mariae* ; P. NIX : *Cultus SS. C. Jesu* ; P. TERRIEN : *la dévotion au S. C. de Jésus* ; P. SUAU : *le Cœur de Jésus, ce qu'il est, ce qu'il demande, ce qu'il donne* ; P. BAINVEL : *art.du dictionn. de théol.cath. et* : *La dévotion au Sacré Cœur.*

I. **Existentia seu legitimitas hujus cultis : Cor Jesu etiam physicum est adorabile signate.**

Status quaestionis. 1° Cor Jesu *proprie* = *physicum* = pars physica humanae naturae, quae connexionem naturalem habet cum affectibus

voluntatis totiusque vitae affectivae.— *Metaphorice* = *metaphoricum* = ipse amor designatus expressione metaphorica cordis : tunc in voce « cor » non jam ullo modo cor physicum attenditur, sed solus amor. — *Symbolice* = *symbolicum* = ipsum cor physicum ut amorem significans, seu ut amoris signum aut symbolum, ita ut *signum* sit cor physicum ; *res significata* sit amor et in genere tota vita affectiva, intima, moralis ; *ratio significationis* sit connexio partim saltem realis, et non mere arbitraria, inter ipsum cor physicum et motus omnes vitae affectivae.

2° *Adversarii*, praesertim Jansenistae, qui 1° rejecerunt absolute hunc cultum ut idololatricum, unitatis Christi laesivum, nestorianum ; deinde 2° illum depravare tentaverunt, intelligentes tantum de cultu cordis metaphorice intellecti.

3° *Vera doctrina :*— sane, etiam amor Christi est adorabilis ; quia, sicut et alia accidentia pertinentia ad naturalem statum naturae assumptae, assumptus est, mediante substantia, in hypostasi Verbi (SUAREZ : XV. 8). Sed adorabile est etiam ipsum cor physicum, animae unitum et Verbo hypostatice conjunctum : et hoc est *proximum fidei*. In hoc porro cultu, *totus Christus* adoratur *exercite*, *Cor* ejus *signate*. Cf. thes. praeced.

Probatur. 1. *Ecclesiae praxi et declarationibus explicitis. — Generaliter :* hunc cultum approbavit, ab impugnatoribus defendit, eum exercet, favoribus amplissimis ditat, magis ac magis in dies promovet. – *Specialius* commemoranda : approbatio festi SS. Cordis et ejus officii ; extensio ejus ad totam Ecclesiam ritu solemni ; indulgentiae huic cultui concessae ; piae congregationes huic dicatae ; beatificatio B. M. M.; consecratio totius Ecclesiae, imo totius generis humani huic SS. Cordi, etc., etc. Cf. P. 208-210. — Declaratio magis explicita : Pius VI, damnans prop. 61, 62, 63 Pistoriens., 1° statuit hujus cultus fundamentalem rationem ; 2° hunc affirmat et vindicat ; 3° ulterius contra calumniam explicat (D. B. 1561, sqq.) — Adde documenta in 2ª parte modo afferenda.

2. *Ex natura rei :* Quia pars omnis humanitatis Christi, cum toto sane conjuncta, est adorabilis, et sunt rationes speciales cur eligi debeat Cor SS. prae caeteris partibus ad cultum specialem : praecipue quia Cor Jesu est naturale symbolum totius vitae moralis Christi, praesertim vero ejus amoris erga nos, quod prob. **a**) ex ipso sermone profano et sacro (NIX, 57 s.) ; **b**) ex usu, scil. honore speciali qui solet cordi Sanctorum aut virorum insignium exhiberi ; **c**) potissimum ex documentis explicitis Ecclesiae, quae in hoc symbolismo fundat rationem cultus publici erga Cor. SS. Jesu ; **d**) tandem conf. indicando rationem naturalem hujus symbolismi et significationis, connexionem scilicet sensibilem functionum cordis cum amore sensibili, variis passionibus, et consequenter cum vita morali.

II. **De natura, seu objecto cultus publici erga SS. Cor Jesu.** — Cultus enim privatus potest legitime reddi sive cordi mystico, sive cordi

physico, sive melius utrique simul. Quaeritur de cultu prout est publice approbatus, et prout publice exercetur.

Tres sententiae : — 1ª *falsa :* objectum est solum cor mysticum seu metaphoricum, amor : ita Jansenistae, et aliqui theol. catholici, qui putabant non posse adorari signate partem aliquam, et ceterum legebant ab Ecclesia coli *amorem sub cordis symbolo*, quod pessime interpretabantur ; —2ª *minus recta* : Objectum est solum cor physicum,licet ratio cultus, sed quin a cultu attingatur ut objectum, sit amor ; — 3ª *verior :* objectum est simul cor et amor, imo et aliae Christi affectiones quarum cor est symbolum : adoratur cor ut significans, amor ut significatus, et utroque simul sumpto unum objectum constituitur.

Probatur tertia sententia.

1. *Ex actibus S. Sedis.* — **a**) *Decreto S. R. C. a. 1765*, sancito a Clemente XIII : 1° approbat cultum jam vigentem ; 2° annuit votis postulatorum ; 3° expresse docet coli amorem, et implicite coli cor. (Nilles, p. 136 ; Stentrup, p. 748.) — **b**) Pii VI, *litt.* 29 Jun. 1781 ad Scipion. de Ricci, ubi docet « symbolica *Cordis* imagine immensam *caritatem* » coli..., (P. 212) ; — **c**) Ejusdem bulla « *Auctorem fidei* » damnante *propos.* 62 et 63 *Pistor.*(D.B. 1562 s.) ; — **d**) Pii IX decreto, a. 1856, et brevi beatif.B.Marg. M. a. 1865, ubi docetur coli cor ipsum, flagrans amore (Nix, 42, 43). — **e**) Leonis XIII litteris 28 Jun. 1889, ubi dicitur caritatis beneficia sub cordis symbolo coli.

2. *Ex sacra liturgia.* — a) In missa *Miserebitur* : in oratione. . « ut qui in SS. dilecti Filii *Corde* gloriantes, praecipua in nos *caritatis* ejus beneficia recolimus . » — b) In officio, lectio VI, dicit caritatem Christi... recoli a fidelibus, sub sanctissimi cordis symbolo.

3. *Ex revelationibus B. Marg. M.*, praecipue ex verbis Christi Cor manifestantis : « Voilà ce cœur qui a tant aimé les hommes », etc.

4. *Ex paritate* cum plerisque devotionibus ab Ecclesia approbatis, ubi habetur objectum partim sensibile partim spirituale.

5. *Argumento convenientiae* : Decet coli caritatem Christi, et a nobis hominibus non potest apte coli nisi in aliquo objecto manifestationis, cujusmodi nullum inveniri potest Cordi Jesu comparabile. Neque potest assumi Cor Jesu ut objectum manifestationis seu symbolum in quo colatur amor,nisi ipsum colatur cultu absoluto latriae,nam adorabile est et ipsum. —Sic ergo cultus attingit *cor Christi* et *caritatem Christi*, praecipue caritatem, sed proxime cor, et in corde, et sub symbolo cordis sensibili, caritatem. Utrumque constituit *objectum materiale proximum* (vel signatum) cultus ; *objectum formale speciale et proximum* est *dignitas* seu excellentia ratione cujus utrumque specialiter colitur...

De amore,quaeritur utrum *amor tantum humanus*, an etiam *divinus* adoretur. — Resp. 1° Colitur *praecipue* — si non exclusive — humanus, quia solus habet cor ut *symbolum suum naturale*. Et quidem amor erga Deum, sed praecipue erga homines ; nec solus amor formalis, sed *omnes affectiones*

ortae ex amore ; et colitur hic amor in omni statu sed specialius ut afflictus. — 2° De amore divino est controversia, quam videas in *Etudes* t. 106 p. 146 et 472 ; t. 107 p. 643-665 ; BAINVEL, *op. cit.* ; *Rev. des sciences phil. et theol.* 1907 p. 769 ; *N^lle Revue théol.* 8^bre 1909. Bene forte dixeris, cum cultus qualis ab Eccl. exercetur, dirigatur *signate et immediate* ad amorem qua symbolum suum naturale habet in corde humano, amorem divinum, qui identificatur cum persona Verbi, non attingi nisi sicut et persona, remote scilicet et exercite sicut in objecto materiali immediato.

III. **De fine hujus cultus : 1° Amor Christi in corde fidelium excitandus.** — Prob. 1. Actibus S. Sedis (NIX, 81). — 2. Revelationibus B. M. M. (NIX, 82). — 3. Ex rei natura : Nullus finis magis respondet huic cultui ; nullus magis convenit Christi amori. — 4. Conf. ex necessitatibus temporum quibus voluit Christus per hunc cultum remedium afferre.

2. **Reparatio injuriarum amori Christi illatarum, praesertim in SS. Eucharistia.** Constat 1. ex revelation. B M.-M.; — 2.ex actis S. Sedis (NIX, 86) — 3. ex natura rei, quia hac devotione excitamur ad amandum et reparandum (NIX, 87, s.).

Nota vero, de indole hujus reparationis, quae potest considerari vel ut *honoris laesi redintegratio*, vel ut *amoris contempti consolatio*. Sub priori respectu, consistit in procuranda gloria Christi variis virtutum actibus, speciatim religionis ; sed agitur praecipue de consolatione amoris, contra dolorem intimum quem causat aut nata est causare hominum, praesertim Deo dedicatorum, ingratitudo eorumque aeterna perditio, etc. Porro solari possumus, tum dolorem Christi *radicalem* seu disciplentiam, quam etiam nunc experitur, ei afferendo vere gaudium accidentale contra illam, tum dolorem *formalem*, quam olim vivens in terris de injuriis nostro tempore illatis expertus est, faciendo nostris actibus ut ei fuerit tunc oblata consolatio, praevisione hujus reparationis quam nunc offerimus. Cf. *Œuvres de la B. M.-M. t.* 1, p. 178 ; *t.* 2, p. 328.— Oportet vero ut reparatio opponatur offensis praecipue in tempore et loco ubi offensae existunt, et, quantum fieri potest, ab ipsis offensoribus, vel hisce proprinquius conjunctis. — Christus autem ipse et Ecclesia indicaverunt aliquos modos reparandi aptiores...

IV. COROLLARIA. — A) *Hujus cultus excellentia* elucet 1. ex objecto ; 2. ex fine ; 3. ex harmonia ejus a) cum tota religione, cujus offert summum apicem et compendium absolutissimum quoad dogmatica, moralia, ascetica ; b) cum natura hominis, cujus percellit sensus, intellectum, affectum sensibilem et spiritualem ; — c) cum praesentibus necessitatibus societatis domesticae et civilis, ut extinguatur naturalismus,sensualimus, egoïsmus... et omnia instaurentur in Christo (Cf. TERRIEN, 337).

B) *Utilitas :* constat ex promissionibus. Cf. NIX, 155 ; P. GUILLAUME, « *Les promesses du S.-C. de J* ». Utilitas haec considerari potest in ordine 1° ad propriam sanctitatem et perfectionem (NIX, 132) ; 2° ad aliorum salutem (138) ; 3° ad salutem familiae et societatis (144). — Circa « *La grande promesse* », cf. « *Etudes* » t. 88, 835 ; t. 95, 593, 854 ; *Revue du cl.*, t. 36, 113.

SCHOLION. — *De missione speciali Soc. Jesu* in ordine ad hunc cultum promovendum. cf. COSTA ROSETTI : *de Spir. S.J.* p.90-111 ; NIX : « *SS. Cordi Jesu cur sint addicti et consecrati S. J. filii* ».

Sectio V.

DE CONSECTARIIS UNIONIS 2° PRO NATURA ASSUMPTA.

Dotes, quae naturae assumptae debentur, aliae sunt supernaturales : in essentia animae *sanctitas*, in intellectu *scientia*, in voluntate *impeccabilitas*, non exclusa *libertate*, in toto composito humano, sed praecipue in anima, *potentia ;* aliae sunt naturales, videlicet *animae et corporis perfectiones*, atque etiam *defectus* operi Redemptionis utiles.

Articulus I.

DE CHRISTI SANCTITATE.

Praenotanda : (Franz,401 et de Régnon : *Etudes sur la S. Trinité*, t.IV, p. 348). — 1. *Sanctitas*, in Deo, est ipsum Esse, formaliter quatenus est Bonum infinitum et Boni infiniti infinitus Amor. In creaturis, est quaedam sanctitatis divinae participatio. Haec potest esse vel materialis tantum, qualem accipere possunt ipsae res, ab usu profano segregatae et Deo dicatae, vel etiam formalis, aut personalis, quae, in ordine supernaturali, est, non tantum immunitas a peccato, sed quaedam deiformitas, qua creatura rationalis 1° conformatur Deo in se, in facultatibus et actibus, 2° redditur Deo grata, eique, prout in se est, unitur, fruiturque jure ad haereditatem aeternam. Haec deiformitas et unio erit accidentalis, si fit per aliquod accidens supernaturale animae infusum ; substantialis, si per unionem substantialem, i. e. hypostaticam cum ipso Deo.

2. Christum fuisse sanctum, *de fide* est : *Luc.* I, 35 ; *Jo.* X, 36 ; *Act.* III, 14 ; etc. *Cf.* Petav. XI, 5.

3. Qua vero sanctitate ? Probabimus 1° sanctitatem ejus substantialem ; 2° accidentalem, per gratiam sanctificantem, virtutes et omnia dona Spiritus Sancti.

§ I. DE SANCTITATE SUBSTANTIALI.

THESIS XXIV. — Humanitas Christi sancta est sanctitate substantiali, per unionem cum Verbo (Cf. Suarez : *Disp.* XVIII. s. 1 ; Lugo, *disp.* XVI. s. 1 ; Franzelin, p. 402).

Status quaestionis : Quidam veteres scholastici et pauci recentiores hanc sanctitatem negaverunt ; alii dixerunt humanitatem Christi ita sanctificari tantum fundamentaliter seu exigitive. Sed thesis est universaliter recepta et tenenda ut *certa*.

Inter catholicos non videtur esse controversia nisi de nominibus : disputatio enim oritur tota ex vario modo concipiendi sanctitatem substantialem.

1° Alii ita vocem illam intelligunt ut putent naturam humanam dici *participare ipsam Dei substantialem sanctitatem*, quasi haec fiat illius proprietas.

Ita SCHELL (p. 178-179), qui timet hunc modum loquendi favere doctrinae ubiquistarum.

2° Alii ex alio capite eam rejiciunt, nixi definitione nimis exclusiva sanctitatis formalis,quam dicunt consistere in sola *deiformitate naturae* humanae effecta *per gratiam sanctificantem,* vi cujus haec natura conjungatur Deo operationibus deiformibus ; dum econtra, aiunt, nat. hum. dotata sola gratia unionis non eliceret nisi operationes naturales.

3° Alii vero — seu omnes *communiter* — **a**) nullatenus concipientes sanctitatem substantialem, ut timent primi, quasi nat. hum. sanctificetur **sanctitate Dei tanquam forma inhaerente**,sed concipientes eam ut *meram unionem cum Verbo*, vi cujus « hic homo sit Deus, habens divinam naturam et sanctitatem proinde essentialem sibi propriam » (FR. p. 402) — **b**) agnoscentes,cum secundis,naturam humanam *non fieri* per eam *formaliter deiformem* (III q. 7. *a.* 1. c et *ad* 2^m) nec acquirere jus proprie dictum sed meram dignitatem ad accipiendam gratiam sanctificantem et operationes connexas (SUAREZ : *loc. cit.*) — **c**) tamen contendunt ex sola unione hypostatica humanam naturam dici debere sensu proprio *sanctam* et quidem sanctitate transcendente omnem aliam, quae jure vocetur substantialis, quatenus est *conjunctio cum ipsa Dei substantia,* vi cujus hic homo est Filius Dei naturalis habens in se sanctitatem Dei substantialem.

Probatur. — 1° *Auctoritate Patrum*, qui explicant nomen Christum, vel quod dicit Scriptura de Christi sanctitate aut unctione,per consecrationem substantialem quam Verbum sui unione contulit humanitati ; sic v. gr. ORIGENES: Περὶ ἀρχῶν. II. 6. M. 11, 214 ; S. GREG. NAZIANZ. (R. J. 995) ; S. AMBROS *De fide* I. 3, 24 (M. 16, 534) ; S. AUGUST.(R.J. 1842) ; S. JOANN. DAMASC. *De fide orthod.* III. 3 (M. 94, 989 B.)

2° *Ratione theologica* : a) **positive**, quia unio hypostatica sanctificat formaliter ; etenim, conjungit Deo, facit Deo gratum et amicum, excludit absolute — etsi non per seipsam formaliter — omne peccatum (ut videbitur in thesi de impeccabilitate), dat jus ad aeternam haereditatem.— Confirmatur per comparationem cum sanctitate ex gratia sanctificante : per unionem enim humana natura multo magis compenetratur divina substantia, et ex unione adeo fit unum operans principium ut omnes naturae humanae operationes sint theandricae — b) **negative**. Ideo non..., quia ad hanc sanctificationem substantialem sanctitas divina (ipsa Essentia) deberet fieri forma et attributum humanitatis, nec sufficeret ad eam ipsa unio hypostatica. Atqui non debet sanctitas divina fieri forma et attributum humanitatis, sed satis est ut humanitas substantialiter uniatur Verbo divino : nam in hac ipsa unione substantiali consistit sanctitas substantialis humanitatis. In quo necesse est advertere differentiam inter sanctitatem et cetera attributa : sola unione cum Deo communicatur sanctitas, quia communicatur Verbum qui est sanctitas substantialis, et hoc sufficit ut adsit formalis sanctitas, quae est relatio ; cetera vero attributa Dei, etsi pariter identificantur cum Verbo quod unitur, tamen

non eo ipso participantur a natura humana, sive quia nat. hum. non est eorum capax, v. g. immensitatis, sive quia eorum participatio non est per meram relationem sed per operationem vitalem, v. gr. sapientia et bonitas. (Cf. Lugo : *Disp.* XVI. s. 1. n. 11 *sqq.*

Corollarium. Non tantum anima Christi, sed totum compositum humanum unione sanctificatur, imo fit sanctificans. — Omnes actiones Christi humanae habent *valorem moralem infinitum*. (*Cf.* Suarez ; *Disp.* XXXIX s. 1., quod essent meritoriae vi solius unionis, etsi fierent sine co-principio gratiae sanctificantis, et *Disp.* IV. s. 4., quod meritum sit infinitum.Et hinc intelligis quare non indiguerit Christus sibi mereri beatitudinem) — Humanitas ejus est infinite sancta participative, non simpliciter, ut ipsum Verbum.

§ II. DE SANCTITATE ACCIDENTALI.

THESIS XXV. — Christus 1) habuit gratiae sanctificantis creatae 2) plenitudinem perfectam 3) ab initio ; 4) quam etiam influit ut caput in Ecclesiae membra ; 5) infusas pariter accepit virtutes suae perfectioni non contrarias, et omnia dona Spiritus Sancti.

I. **Habuit gratiam sanctificantem.** (*q.* 7, *a.* 1; W. 421 ; P. 289 ; Fr. 405; Suarez : *Disp.* XVIII. s. 1).

Gratia sanctificans est qualitas supernaturalis permanenter inhaerens animae, faciens hominem participem divinae naturae, gratum Deo, filium ejus adoptivum et haeredem vitae aeternae.

Quaestio poni potest triplex :

1° Utrum Christus *potuerit illam habere*, cum jam haberet sanctitatem substantialem. **Respondet** D. Th. (*loc. cit. ad* 2^m^) Christum ideo eam potuisse habere quia sanctitas substantialis non sanctificabat formaliter naturam in omni linea ; non enim conjungebat Deo formaliter per operationes humanas. — Ex alia parte, etsi adoptio, cujus incapax est Christus, sit gratiae sanctificantis effectus formalis, tamen, quia non est nisi secundarius, potest impediri dignitate personae, quin eo ipso excludatur gratia sanctificans.

2° Utrum de facto Christus eam *habuerit* -- **Resp.** affirmative, et quidem ab initio existentiae suae, tum ex eo quod Scriptura doceat Christum hominem accepisse in se Spiritum Sanctum, ejus donis fuisse unctum, habere plenitudinem donorum ejus (v. gr. *Is.* XI. 2 ; *Matth.* XII. 18 ; *Joan.* I. 14 ; *Col.* I. 18) — quod non potest fieri nisi per gratiam : Spiritus Sanctus enim non inhabitat sine gratia — tum ex explicita affirmatione Patrum commentantium haec loca, v. gr. S. Augustini (R. J. 1680) ; S. Joann. Chrysost. (R. J. 1208) ; S. Cyrill. Alex. (R. J. 2088).

3° Utrum fuerit illi *necessaria*, id est, ita conveniens ut Deus non potuisset eam illi, posita sanctitate substantiali, denegare ? **Respondetur** eam fuisse illi necessariam, in quantum connaturale erat naturam substantialiter sanctam ex sua cum essentiali sanctitate conjunctione sanctificari etiam formaliter in seipsa, ita ut, facta in se deiformis, proportionaretur elicien-

dis illis actibus cognitionis et amoris, quibus etiam Deo conjungeretur. Secus enim humanitas Verbo conjuncta caruisset illa dignitate naturali, illa ad Deum assimilatione intrinseca, quam exigit unio hypostatica.

II. **Habuit gratiae plenitudinem** i. e. perfectam gratiae possessionem, sive quoad ejus intensitatem, sive quoad ejus extensionem (3. *q.* 7, *a.* 9 et 10).

1° Constat ex *Jo.* I, 14 : plenitudo est perfecta, de qua omnes accipiunt.

2° Prob. ratione theol. quia a) est maxime Deo conjunctus ; b) debet in omnes gratiam quamlibet influere.

3° Alii, qui dicuntur pleni gratia, non habent plenitudinem objectivam et absolutam, sed tantum subjectivam et relativam ad suum munus particulare.

Non tamen habet gratiam entitative infinitam (*q.* 7, *a.* 11), sed solum gradum maximum ordini praesenti convenientem. Potest vero haec gratia dici infinita moraliter, tum quia est in summo gradu, tum quia se extendit ad omnes gratiae effectus, tum quia sufficiens est ut influat in omnes, sine fine, tum quia participat dignitatem infinitam ratione personae.

III. **Ab initio perfectam, ita ut non potuerit augeri** (3. *q.* 7, *a.* 12). *Certum,* contra Güntherianos, et alios. Cf. Fr. 410.

1° Ex doctrina communi ; 2° ex ratione intrinseca : quia a) ab initio exigebatur tota (S. Damasc. F. O. III. 22) ; eratque Christo naturalis (W. 422) ; — b) Christus erat comprehensor ab initio. — 3° Nec obstat *Luc.* II, 52 : « Proficiebat gratia », secundum manifestationem ejus, in his quae sunt ad Deum et in his quae ad homines.

IV. **Haec gratia est non tantum personalis, sed gratia capitis.** (*q.* 8.).

Christus est caput Ecclesiae, non tantum regendo, sed maxime influendo vitam et actiones supernaturales : *Eph.* I, 22, sqq. ; I, 10 : « recapitulare omnia in Christo » ; IV, 15, sqq. ; *Col.* I, 18-24 ; etc. Habet erga Ecclesiae membra : a) communicationem cum iis in eadem natura et eadem vita supernaturali ; b) eminentiam dignitatis, et plenitudinem vitae ac virtutis ; c) influxum vitae et actionis. Cf. Fr. 411, ss. et Prat. : *Théol. de St Paul. t.* I. *l.* IV. *cp.* III ; *t.* II. *l.* V. *cp.* III. *p.* 413.

Jamvero Christus munus hoc habet atque exercet qua Deus-Homo, possidens gratiam unionis et gratiam sanctificantem : gratia sanctificante communicat cum membris in vita supernaturali creata, ejusdem habet plenitudinem, eamque influit eliciendo per habitus supernaturales actiones meritorias et satisfactorias ; gratia unionis dat iisdem actionibus valorem infinitum.

Hinc apparet eamdem esse realiter in Christo gratiam personalem et gratiam capitis (*a.* 5).

Corollaria 1. Christus, propriissime, est *caput Ecclesiae* tum militantis, tum patientis, tum triumphantis. — 2. Est caput omnium hominum viatorum, sed diversis gradibus (a. 3) ; et hoc, principaliter quantum ad animam, secundario quoad corpus (a. 2.). — 3. Est

etiam, etsi minus proprie, caput Angelorum sanctorum (a. 4). Cf. Prat : *Théol. de S^t Paul.* t. I, l. IV cp. II, 3, p. 403. — 4 At vero irrationalium et damnatorum non est caput, sed Dominus, quatenus non volentibus imperat. et non influit vitam aut operationem supernaturalem. — 5. Nulli creaturae convenit eodem modo nomen capitis Ecclesiae (*a.* 6.) ; — 6. neque in qualibet societate aequo jure datur duci nomen capitis (*a.* 7. 8.).

V. **Accepit etiam**. — a) **Virtutes infusas** (*q.* 7. *a.* 2 ; Suar. XIX) : quae sunt quasi facultates supernaturales, gratiam sanctificantem consequentes ; non tamen eas quae repugnant unioni et visioni intuitivae, ut fides et paenitentia stricte dicta. — b) **Virtutes naturales** per accidens infusas (Suar. XIX, 2). — c) **Gratias actuales** (Suar. XVIII, 4). — d) **Dona Spiritus Sancti** *q.* 7, *a.* 5 ; W. 426 ; *Suar.* XX) : quae sunt perfectiones facultates has facientes facile mobiles instinctu Spiritus Sancti, maxime ad actus heroïcos. Prob. — 1) *Is.* XI. 2 ; — 2) sunt connexa cum gratia, — nec repugnant Christo, — imo ipsi summe convenientia. - e) **Gratias gratis datas** (Suar. XXI) : Gratia gratis data est quaedam ordinatio, actualis vel habitualis, ad operanda mirabilia in manifestationem fidei (1. *Cor.* XII, 7). Eas fuisse in Christo testatur Evangelium, easque postulabat tum dignitas Christi, tum ejus munus. At illas possedit modo enimentiori, prout decebat scientiam ejus et potentiam perfectissimam.

Articulus II.

DE SCIENTIA CHRISTI HUMANA.

§ 1. DE EXISTENTIA ILLIUS SCIENTIAE.

THESIS XXVI. — **Praeter scientiam divinam,** 1) **Christus habuit scientiam humanam, quae complectitur,** 2) **scientiam beatam,** 3) **scientiam per se infusam,** 4) **scientiam naturalem**. (III. *q.* 9-12 ; Petav. XI. 1-4 ; Chollet : *La psychologie du Christ.*)

I. Christus habuit scientiam humanam seu creatam.

Adversus Apollin. ex una parte, et ex altera, adv. Jo. de Ripa, Hugonem Victor, etc. Cf. Stentr. 1034. Adversus primos, est de *fide* ; adv. alios, *theologice certa.*

1. Christus habuit naturalem operationem humanitatis (D.B. 288.291). — 2. Habuit intellect. creatum, operantem — qui non potuit informari scientia divina, — neque cognoscere cognitione ipsi non vitali. — 3. Sine scientia creata, Christus esset incapax omnis actus humani, esset prorsus inutilis. — 4. Nec dicatur a) Deum, qui, in visione beatifica, supplet speciem impressam, posse etiam supplere formalem actum cognoscendi, nam aliud est supplere speciem in ratione objecti cognoscendi et sine inhaesione formali, aliud supplere in ratione formalis actus cognoscendi, qui est vitalis proindeque ab intrinseco — b) sicut communicatur humanitati subsistentia Verbi, posse etiam communicari ejusdem cognitionem, nam subsistentia non est actus vitalis nec formam naturae humanae supplet.

II. Christus habuit scientiam beatam.

1. **Eius existentia.** — **A**) Christus viator *habuit* hanc scientiam. Hoc, dissentientibus paucis recenter theologis, v. gr. Schell, admittitur ut cer-

tum ab omnibus scholis catholicis ita ut « *non possit sine temeritate negari* » (Lugo), « negare esset errori et haereticae impietati proximum » (Petav. XI. 4, 2 et 8). Et M. Cano (l. XII cp. 14) dat hanc thesim ut exemplum doctrinae quae ex sola theologorum auctoritate admittitur, assentientibus sane omnibus Ecclesiae pastoribus et fidelibus qui mirarentur Christum in vita non vidisse Deum.

Probatur a) ex Scriptura innuente in locis ubi Christo homini visionem ipsius Dei tribuit, v. gr. *Joan.* I 14 coll. cum I *Cor.* XIII. 9-12 ; *Joan.* I 17-18 coll. cum VIII. 38 ; *Joan.* III, 11 sqq. Quod argumentum confirmabitur in sequenti thesi, ubi probabitur Christum se suo humano intellectu cognovisse Deum.

b) A PP. quaestio non est explicite considerata. Attamen S. August. (*De diversis quaest.* n° 65. M. 40, 60) et S. Fulgentius (*Epist.* XIV. 3. 26 et 31 R. J. 2338-2339) docent solum Christum in hac vita plenam deitatis cognitionem habuisse (Cf. etiam S. Hieronymi *epist.* XXXVI. 15. R. J. 2358).

c) Ex auctoritate theologorum — cf. supra.

d) Ex ratione theologica aut potius ex sensu Ecclesiae ductae consideratione dignitatis quam humana natura ex sua Persona habet, et ex qua decebat eam donari omni dono supernaturali : **z**) ratione Personae, quae videtur excludere eum, qui sit Deus, se ex aliquo capite posse ignorare, naturam linqui in obscuritate erga eam personam cui adeo conjungitur : sicut Deum habet in se *re*, videtur quod illum etiam habere debet *intentione* — **y**) ratione muneris : cum homines haberet docendos Deum ut in se est, non videtur potuisse convenienter illud facere, nisi Deum ut in se est ipse videret ; et hoc a fortiori cum se deberet manifestare Deum : cognitionem enim ad hoc debebat habere Incarnationis qualem non videtur posse praebere nisi visio Verbi intuitiva. Cum praeterea jam tunc esset caput angelorum, inconveniens esset eum illis in cognoscendo Deo esse inferiorem — **x**) ratione amoris Dei erga eum. Cum Deus illam naturam adeo dilexisset ut summum in ratione doni contulisset ei donum, unionem scilicet hypostaticam, videtur non potuisse illi non conferre aliud inferius donum quod est visio intuitiva. Secus enim videretur eam naturam minus dilexisse quam naturam beatorum.

e) Difficultates, quae multorum hodie movent animos, ex tristitia, et, ut eis videtur, ignorantia aut errore Christi, solventur infra, et jamdiu sunt a theologis catholicis praeoccupatae : cf. *v. gr.* M. Cano, *loc. cit.* Principium in specie, quo nititur Schell, « *nobilius aliquid haberi per acquisitionem meritoriam quam ab alio sine merito* », non abjicitur a D. Thoma. (III q. 19. a 3), qui inde quidem concludit Christum potuisse sibi aliquid mereri, v. gr. gloriam corporis et externam sui glorificationem, at renuit illud applicari, ubi agitur de aliqua re « cujus carentia magis dignitati Christi et perfectioni praejudicaret quam per meritum accresceret ».

B) *A primo conceptionis momento* eam habuit : nam probationes allatae valent pro omni tempore — nec ulla existebat ratio cur visio intuitiva differretur ; non enim « proficiebat » realiter sanctitate.

2° **Ejus perfectio.** — **A**) Visio intuitiva in Christo longe clarior fuit quam ceterorum ; non tamen fuit comprehensiva. *Certum th^r.* (III. q. 10).

Habet enim Christus plenitudinem gratiae et veritatis, a qua plenitudine omnes accipiunt ; et hoc postulat ipsa dignitas Filii Dei unigeniti ; sed, quia tandem intelligentia humana est finita, nequit adaequare Dei cognoscibilitatem intensivam aut extensivam. — Haec propositio Favorini, vulgo dicti *Augustini de Roma*: « Anima Christi videt Deum tam clare et intense quam Deus videt seipsum », damnata est a concilio Basiliensi (MANSI 29. 109).

Proinde anima Christi non videt in Deo omnia possibilia (3. *q.* 10. *a.* 2.) Talis enim cognitio esset infinita.— Quidam tamen concedunt illi cognitionem habitualem (potentialem successivam) omnium possibilium, sed non actualem et simultaneam. Sic. TOLET., t. III. p. 198. *sqq.*

B) *Videt tamen omnia praeterita et futura.*

1. Beati vident in Deo saltem ea quae pertinent ad se et ad suum statum. Atqui omnia praeterita... pertinent ad Christum : quia finis et Dominus omnium ; quia caput ; quia judex ; quia gratiarum distributor. — Ergo cognoscit etiam conditionate futura.

2. Explicatur (W. 371) Hanc visionem omnium existentium esse *actualem* censet S. THOMAS (*q.* 10. *a.* 3 ; *de Verit. q.* 20. *a.* 5) ; ratio positiva : visio beatifica est invariabilis, tota simul secundum gradum luminis gloriae ; ratio negativa : ad talem visionem non requiritur actus infinitus, quia ea non sunt infinita actu, cum alia sint ex aliis, nec simul consistere possint. — Eamdem visionem omnium esse solum *habitualem* aiunt alii, post S. BONAVENTURAM (*dist.* 14. *a.* 2. *q.* 4.) et SCOT., *v. gr.* TOLETUS, t. III. p. 200 : ex quibus Christus cognoscit simul actu ea quae vult. « Divina essentia est speculum voluntarium ; tantum se ostendit quantum vult. Pro Dei ergo voluntate, unus beatus videt creaturas, quas ante non videbat, reliquis permanentibus iisdem » (TOLET). Pro Christo pariter, sed cum hac differentia quod, cum omnia pertineant ad illum proindeque illi visibilia sint, Dei voluntas se totam illi accommodavit ut ipse videret quae, quando et prout ipse vellet.

III. **Christus habuit scientiam per se infusam** (III. *q.*9. *a.* 3 et *q.* 11).

Scientia *infusa*, in genere, sic dicitur per oppositionem ad acquisitam. Duplex est : infusa per se, quae acquiri non potest, est supra exigentiam subjecti, supernaturalis ; extenditur tamen ad objecta etiam naturalia ; independens est a phantasmatibus ; eam receperunt Angeli ab initio ; eamdem possident omnes comprehensores ; — infusa *per accidens*, quae potuisset acquiri, est naturalis, exercetur dependenter a phantasmate ; eam receperunt primi parentes...

A). *Fuit in Christo a primo conceptionis momento.* Sent.*communis* (P. 263,s.)

1. *Hebr.* X, 5-9 : Christus, mundum ingrediens, se offert in sacrificium aeterno Patri. Atqui haec oblatio tunc facta probat adfuisse scientiam

infusam per se : dirigebatur enim cognitione,at non increata,non beatifica, non infusa per accidens aut naturali, non fidei...

2. *Ratio* sumitur ex perfectione Christo debita. — 1° Debet habere totam perfectionem collatam sive comprehensoribus, sive viatoribus... — 2° Nulla perfectio Christo neganda est, nisi vel sit inutilis, vel opponatur alteri ejus perfectioni majori, vel contradicat numeri Redemptoris. Atqui scientia per se infusa : — non est inutilis (cf. W. 381, 382) : ea enim fuit Christo ab initio necessaria, est ornamentum intellectus, reddit cognitionem pleniorem ; — non opponitur alteri perfectioni (W. 383, 384), scilicet visioni intuitivae ; nec in hoc adest paritas cum fide...

B). *Per eam cognoscit :* a) in ordine supernaturali, 1° entia supernaturalia creata, in seipsis : sunt enim hujus scientiae objectum proprium ; 2° Deum unum et trinum, tum directe, licet non intuitive, tum indirecte in entibus supernaturalibus ;—b) *in ordine naturali*: ea omnia,sive existentia sive possibilia,quorum cognitio convenit Christo : hoc est enim possibile, et requiritur ab illa scientia Christi, etiam ut supernaturalia perfecta cognoscat.

IV. **Christus habuit scientiam naturalem** (*q.* 9. *a.* 4 et *q.* 12).

Scientia naturalis ea est quae viribus naturae acquiritur aut acquiri potest. Res cognoscit per conversionem ad phantasmata. Potest esse vel infusa per accidens, sive experimentalis.

Certum est Christum habuisse scientiam naturalem : utrum vero eam habuerit tantum acquisitam, an simul infusam per accidens et experimentalem dubitatur (Cf. Tolet in *h.l.*) **1ª Sent.** : S.Thomas, in Summa, *q.* 9. *a.* 4 : acquisita solum. **2ª** : Idem S. Thomas, junior ; Suar. XXX, 2 ; W. 387,... infusa per accidens, ab initio, et praeterea experimentalis gradatim acquisita. **3ª** : Lugo, XXI, 1 : infusa gradatim, prout aetas ferebat, et praeterea acquisita experimentaliter.

A). — **Christus habuit scientiam naturalem perfectam**. *Certum.*

1. Haec maxime omnium debebatur ; nec poterat eius intellectus carere cognitione naturali. — b) Habuit prudentiam, etiam naturalem...

2. Fuit perfecta, i. e. summo gradu : quod debebatur dignitati personae et acumini intellectus.—An fuerit omnium rerum, pendet a quaestione an fuerit infusa ; si enim acquisita, non satis appareț quomodo potuerit esse omnium rerum.

B). — **Probabiliter infusam ab initio,** ne in hac parte esset inferior Adamo ; et ut scientia haec posset esse perfecta. — **Probabilius infusam successive,** secundum quod organa phantasiae erant disposita : a) sic melius explicatur progressus scientiae Christi ; b) infusio ab initio inutilis ; c) etiam cum infusione successiva, Christus habuit semper scientiam perfectam pro qualibet aetate. — Etiam in hypothesi scientiae infusae per accidens, Christus non potuit non acquirere propriis actibus scientiam experimentalem. — **Probabilius mere acquisitam** : Non magna apparet utilitas infusionis ; et, sine ea, magis explicantur textus Scripturae et Patrum, de profectu scientiae Christi pueri et adolescentis. V. Fr. 428.

Ceterum facile eam aquirere potuit pro aetate et circumstantiis perfectam, dirigente praesertim et adjuvante scientia infusa per se. Et sic optime explicatur Christum in suo modo loquendi et conversandi cum hominibus se habuisse juxta indolem et mores et methodum et stylum suae gentis (cf. CHOLLET *op. cit. t. I. cp.* V.; DE GRANDMAISON in *Recherches de science relig.* 1911 p. 198-200).

Coroll. — Ergo « *Jesus proficiebat sapientia* », non simpliciter, sed sec. quid : — a) eam intrinsecus manifestando magis ac magis (S. GREG. NAZ. *or.* 43. *n.* 38) ; — b) propria experientia et propria activitate novam scientiam gradatim acquirendo, quam solam manifestabat ; c) probabiliter etiam, recipiendo scientiam per accidens infusam majorem pro aetatis convenientia. Cf. FR. 428.

§ 2. DE EXTENSIONE SEU PERFECTIONE ILLIUS SCIENTIAE.

THESIS XXVII. — Christus per suum humanum intellectum non tantum conscius fuit se esse Deum sed etiam ea omnia cognovit quae ad suam missionem pertinent, ita ut ejus scientia humana fuerit ab omni errore aut ignorantia positiva immunis.

I PARS : Christus conscius fuit se esse Deum.

Praenotanda. 1. Ut patet, Christus, qua Verbum Dei, se sciebat humanae naturae hypostatice unitum. Hic autem quaeritur utrum, qua homo reduplicitive seu *intellectu suo humano*, eamdem etiam cognitionem habuerit. - Quaestio vero a nobis non ponitur eodem modo quo ponitur ab eis qui quaerunt de tempore vel modo quo Christus—merus homo—devenerit in cognitionem suae dignitatis messianicae seu suae filiationis divinae. Nos econtra, praesupposito facto Christum esse ac se dixisse Deum, quaerimus tantummodo num sit possibile concipere Christum se affirmasse Deum, quin hanc suae humanitatis in Verbo subsistentiam suo intellectu cognosceret.

2. Thesis dat responsum generale,quod est saltem *theologice certum.* Duo tamen in hoc responso distinguenda sunt, scilicet *factum cognitionis* et *explicatio facti.* Hinc duae partes in probatione : prior demonstrat factum ipsum cognitionis ; posterior dat rationem cur et quo sensu haec congnitio dici possit conscientia Christi.

1° *Christus suo humano intellectu cognovit se esse Deum, siquidem humano modo se dixit esse Deum.*

A)Humani erant actus quibus Christus se revelavit esse Deum. Atqui illi actus non fuissent humani si Christus suo humano intellectu non cognovisset suam divinitatem ; non enim humano modo agit qui nescit suo intellectu id quod sua loquela profert : tunc agit ut instrumentum inane. Tota vis ergo argumenti est in majori,quae et ipsa obvia est, nam Christus est verus homo, qui, docendo homines per loquelam,enuntiavit doctrinam suam formulis et figuris propriis ingenio gentis et loci, attemperavit modum proponendi eam dispositionibus auditorum, processit interrogando,

suggerendo, arguendo etc. Jamvero qui sic procedit is sane procedit cum cognitione et voluntate seu humano modo.

B) De fide est Christum esse verum hominem, cujus activitas humana non sit mere apparens aut absorpta in Dei activitate. Atqui Christus docens divinitatem suam humano — saltem apparenter, ex dictis in praecedenti argumento — modo, et tamen nesciens per intellectum id quod ore profert, non exereret activitatem suam humanam, nisi vel *phantastice* vel ope intellectus divini supplentis intellectum suum humanum. Ergo Christus, dum docebat divinitatem suam humano modo, hoc non faciebat tantum apparenter aut nesciens.

C) Modus docendi Christi arguit vel hominem ore proferentem id quod mente capit vel Deum homine utentem tanquam instrumento, cujus ope, humanum videatur ejus magisterium. Atqui non ultimum. Ergo primum.

Objicies a) ex suggestione hypnotica. — **Resp.** Suggestio hypnotica non fit in solis organis corporalibus sed etiam in ipsa mente per imaginationem. — Ceterum, transmissa hypnotisatione, negatur ulla paritas, cum de fide sit Christum esse hominem sui juris et sui compotem.

b) ex prophetis : Deus docet per prophetas multa quae prophetae non intelligunt. A pari, potuisset Verbum per suam humanitatem docere res quas humanitas non intellexisset. — **Resp.** Deus docet per os prophetarum aliquid quod nullo modo infuderit eorum intellectui, *nego ;* docet per os prophetarum aliquid quod eorum menti infusum manet tamen eis non intellectum : *subdist. :* et illud docet pro quanto ab eis intelligitur (*conc.*) ; et illud docet quoad hoc etiam quod ab eis non intelligitur (*nego*) : hoc enim ultimum non proprie docebitur nisi quando aderit supplementum luminis. — Accidere revera potest prophetas non intelligere plene sensum alicujus rei vel dicti quod Deus eis in ore et in intellectu ponit ; attamen etiam tunc habent in intellectu aliquem illius sensum, quem solum explicite docent,donec Deus ipse,nova revelatione, manifestet profundiora in priori sensu jam ab ipso intenta.

2° *De modo explicandi hanc Christi suae divinitatis humanam conscientiam.* (Cf. CHOLLET, *op. cit.*, t. II, *cp.* VI ; STENTRUP : *Christologia* I, *thes.* 28, p. 504 sqq.)

A) Demonstratum est factum independenter et praescindendo ab omni doctrina de variis fontibus scientiae humanae Christi. Nunc autem patet eam suae divinitatis cognitionem repeti non posse nisi ex speciali omnino illuminatione. Sola enim deductione naturali, arguendo scilicet ex eo quod se videret ceteros homines transcendere et prophetias messianicas adimplere, non potuit concludere suam unionem hypostaticam, cum haec, sua natura, excedat vires intellectus humani. Restat ergo eam fuisse illi manifestatam scientia per se infusa. (Cf. SUAREZ : *Disp.* XXVII, s. 3). Imo neque haec sufficere videtur, ideoque explicatio ultima repetenda est ex visione beatifica,qua videbat Verbum humanitati et humanitatem Verbo conjunctam.

B) Nunc autem haec cognitio potestne dici *conscientia* Verbi *humana ?*

a) Non proprie, quia conscientia non percipit proprie nisi operationes et substantiam in operationibus ; ad eam non pertinet cognoscere naturam intimam seu τό quid sit sive actuum sive substantiae. Jamvero unio hypostatica est aliquid staticum, cujus effectus ad summum conscientia potest apprehendere, quin possit de ejus natura proferre ullum judicium.

b) Attamen planum est intellectum humanum apprehendere factum visionis beatificae, ita ut testetur se Verbum videre,sicut intellectus noster testatur nos videre prima principia, etc.

c) Hinc, si conscientia dicitur facultas — ab intellectu distincta an non, parvi refert — qua aliqua persona se ipsam cognoscit, patet Verbo adesse *conscientiam sui humanam* et quidem perfectissimam : nulla enim est persona humana,quae se intuitive apprehendat : suorum tantum actuum conscia est, ex quibus, reflexionis et analysis ope, suam naturam noscere laborat ; Verbum autem se,ut in se est,intellectu humano directe intuetur.

d) *Duae* proinde, hoc sensu, in Christo agoscendae sunt *conscientiae*, humana scilicet ac divina. Quod sane non constituit sed supponit unitatem personae. Utraque conscientia testatur unionem, at utraque suo modo cognitam. Duae proinde se mutuo compenetrant, quatenus utraque alteri est cognita. Et hinc apparet quam vere Christus, « qui est in sinu Patris », potuerit « Deum, quem videt, enarrare » : Christo enim Deum enarrare est seipsum enarrare.

II PARS : Scientia Christi humana ab omni errore aut ignorantia positiva immunis est (cf. Petav. XI. 1-4 ; *Dictionn. de théol. cathol. art. Agnoëtes ;* Lebreton praesertim : *Origines du dogme de la Trinité*, p. 447 sqq.)

Praenotanda. 1° Secunda pars theseos reducitur ad hanc negationem, quia scientia positiva Christi quanta fuerit jam dictum est. Assertio proinde ponitur tantum propter eos textus Scripturae in quibus Christus videtur vel errasse vel aliqua ignorasse eorum quae ad suam tamen missionem faciebant.

2° Adscripserunt **ignorantiam : a) Verbo ipsi**, ut est Verbum, Ariani et Agnoetae, sec. 6°, qui, cum essent monophysitae nec in Christo nisi unum intellectum agnoscerent, eo ipso ignorantiam aliquam ei tribuentes, eam ipsi Verbo affingebant. De eis, cf. Leont. Byzant. *De Sectis*. V, 6 et X, 3 (M. 86¹, 1232 et 1261) ; Eulogius Alexandr. qui contra eos scripsit epistolam, quam notam habemus ex Photii *Biblioth.* (M. 103, 1081-1083) ; Gregor.Magn.,qui probat epistolam Eulogii.(M. 77, 1897-1098) ; Sophron. Hierosolymit. in sua *synodica*,(M. 87. 3192) ; Joann. Damasc. *De fide orth.* III. 21 (M.94, 1084-1088)— Protestantes non pauci, qui *Kenosim* divinitatis in Incarnatione admittunt, tribuunt etiam ipsi Verbo ignorantiam (cf. aliquos citatos in *Science catholique*. 1903. p. 387-389).

b) **soli homini** distincto a persona Verbi, Nestoriani, in specie Leporius ante retractationem suam (M. 31, 1229), tum *Adoptianistae*, v. gr. Felix Urgell. (M. 104. 37), tum ii omnes qui, sicut Güntherus,Nestorianismum

instaurarunt, tum a fortiori ii omnes qui Christum tenent esse merum hominem.

c) **intellectui humano** Christi: z) non pauci Patres olim, sive ad evacuandas difficultates, quas Ariani ex locis Scripturae indicatis movebant contra divitatem Christi, sive ad demonstrandam contra Apollinaristas realitatem intellectus humani Christi—vide textus citatos a P. Lebreton—; y) omnes haeretici qui ignorantiam ipsi Verbo adscribunt, imo non pauci protestantes orthodoxi (cf. *Science catholique* 1903, p. 280 sqq.)

3° *Inter catholicos.* Christo, qua homo est *specificative*, planum est non posse tribui ullam ullo modo ignorantiam neque hoc sensu quaestio hic ponitur. Qua homo est *reduplicative*, quo sensu quaestio hic ponitur, Christum non omnia scire quae scit Deus planum est, et hoc sensu jam dictum est in eo admitti ignorantiam pure negativam Sed quaestio est num in illo fuerit ignorantia pravae dispositionis — seu error – aut saltem ignorantia positiva seu privativa (carentia scientiae debitae, in eis scilicet quae ad se vel ad sua munera pertinent). Difficultas unde oriatur dictum est. Hinc est cur inter catholicos non sit diversitas opinionum nisi in modo explicandi haec dicta Christi ; negant enim omnes Christum errasse vel docuisse errorem, sed de mera ignorantia positiva :

a) **communiter theologi** eam **excludunt**, et ignorantiam, quam de se Christus affirmat, intelligunt mere oeconomicam vel hoc sensu quod non sciebat ex sua humanitate aut, qua Deus, non sciebat ex seipso sed tantum ex Patre.

b) aliqui tamen *aliqualem ignorantiam* admittunt, quam alii aliter explicant, scilicet vel per absentiam visionis beatificae, vel per limitationem ejus, quatenus aut in visa divina essentia non viderentur divina decreta, entiave creata in seipsis, aut influxus visionis beatificae restringeretur ad partem quam dicunt superiorem animae, ita ut, qua viator, nesciret quae, ut comprehensor, Christus cognoscit. Hoc ultimum, post M. Olier, proponit D. Lepin (*Jesus, Messie et Fils de Dieu, ch.* IV § 6 ; 2e *éd.* p. 416-419).

c) thesis nostra dat *doctrinam communem* theologorum, qui facile dicunt eam theologice certam. Attamen, ut videbitur ex perpenso argumento traditionis, forte haec nota est paulo major, et P. Lebreton (*op. cit.*) putat thesim non excedere gradum opinionis — Quodsi nihilominus rem vis haberi theologice certam, n. b. hanc notam non ita intelligendam esse quasi omniscientia humana Christi sit consequentia necessaria unionis hypostaticae. Etsi enim, ut videbimus, argumentum convenientiae exinde sumatur, tamen nemo negat hypostaticam unionem fieri potuisse quin induceret omniscientiam (cf. *v. gr.* Tolet. *in* III *q.* 9, *a.* 2, 2a *concl.* ; Stentrup : *Christol. thes.* 69, 2° *pars* p. 1060 ; Janssens : *De Deo-homine*, I. 419) Intelligi proinde debet hoc sensu quod factum omniscientiae vel validis argumentis ex analogia fidei deductis probetur, contra quae non possit afferri ulla assertio dogmatica positiva, vel affirmetur in schola inde a multis seculis ex quasi vi alicujus traditionis in Occidente et Oriente inde

a seculo 7°-8° praevalentis, ita ut non possit absque praesumptione negari aut in dubium trahi.

Probatur. — 1° Positive : a) *ex visione beatifica :* qui enim tantam habet Dei rerumque divinarum cognitionem quantam sola potest explicare visio intuitiva, is habet scientiam eorum omnium quae ad se et sua pertinent — Quod argumentum, etsi ostendit omniscientiam esse connaturalem Christo, tamen non potest seipso praevalere textibus Scripturae qui videntur asserere limites.

b) *Ex doctr. traditionali* — ab initio per gradus explicata atque inde a saec. 5° et praes. 6°, primum in Occidente, dein in Oriente, ab omnibus admissa,nemine per plura saecula contradicente, — Christum nihil ignoravisse, saltem eorum quae ad se aut ad missionem suam pertinebant, ne diem quidem judicii, de cujus affirmanda cognitione specialis occurrebat difficultas.

Ante Arianismum, Patres, non explicite distinguentes duplicem Christi scientiam, quia hanc distinctionem quaestio non postulabat, perfectionem scientiae vindicabant, explicando textus quibus eum aliqua ignoravisse videri potuisset : *v. gr.* S. Iren. (M. 7, 8, 11).

Postea vero, Arianis objicientibus eosdem textus, eos praes. quibus dicitur Christus ignoravisse diem judicii, progressumque in sapientia habuisse, respondent : — 1° hanc ignorantiam, si qua sit, ad humanam scientiam pertinere, non ad divinam : S.Athan. *c. Arian.*III,43 (M.26,414), *ad Serap.* (621) ; S. Greg. Naz. *or* 30, *n.* 15 (36, 124) ; S.Cyrill. Alex. (75, 369-374) : S. Ambros. (16, 837) ; S. Fulg. (65,231). Imo *per hanc ignorantiam* refellunt Apollinaristas S. Epiph. (42,677), S. Proclus (65,269), S. Ambros. (16,233), S. Fulg. l. c. — Iidem *verum progressum* videntur admittere : S. Cyrill. Alex. (75, 1332 ; 77, 780) etc. — Sed tamen 2° plures ex iisdem Patribus alibi dicunt Christum ignoravisse, non realiter, sed *per tacendi dispensationem :* S. Epiph. (42, 269-276 ; 43, 56) ; S. Hilar. (10, 334, 349) ; S.Greg. Naz. (36, 124) ; S. Ambros (26, 460, 694) ; S. Fulg. (65, 416). Simili modo progressum explicant S. Athan. (26,412) ; S. Greg. Naz. (36, 548 ; 39, 182) ; S. Cyr. Alex. (76, 153 ; 75, 422 ; 73, 164, s.). — 3. Praeterea, eodem tempore, alii Patres, adversus Arianos et Nestorianos,*affirmant Christum,* etiam qua hominem, *cognovisse* ipsum diem judicii : S. Basil. (29, 696) ; S. Chrys. (58, 703) ; S. Hilar. (10, 331-341) ; S. Hieron (26, 181, 188) ; S. Aug. (36, 90 ; 40, 48-60 ; 42, 837, 1034) ; sed clarissima hujus sententiae probatio est *retractatio Leporii,*a S.Aug.probabiliter scripta, a multis episcopis Africae consignata, et ad episcopos Galliae, qui antea Leporium damnaverant,transmissa (R.J.2048).«Tunc dixi...Dñum N. J. C., secundum hominem, ignorare ; sed nunc, non solum dicere non praesumo, verum etiam priorem anathematizo prolatam in hac parte sententiam. Dici non licet, etiam sec. hominem, ignorare Dominum prophetarum ». (M. 31, 1229).

Contra Agnoetas tandem magis explicite pronuntiant : Eulogius Alex.

(M. 103, 1084) : « Quicumque vel divinitati ipsius vel humanitati ignorantiam adscribet, nunquam certissimae temeritatis crimen effugiet». — S. Greg. M. (77, 1076), approbat doctrinam Eulogii, eamque dicit esse Patrum latinorum ; et eamdem ipse exponit atque vindicat, concluditque : « Res autem valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoeta esse nullatenus potest ». — S. Sophron. (87, 3191) : « Themistius... ignorare Christum, non sec. id quod Deus erat sempiternus, sed sec. quod veraciter homo factus, diem consummationis atque judicii ex insipientia mentis eructabat ». — S. Jo. Damasc. (94, 755) : « Agnoetae... impie docent Christum nescire diem judicii ». (94, 1087) : « Qui sic eum sapientia et gratia profecisse aiunt, tqm horum incrementum acciperet, non a primo carnis ortu factam esse unionem asserunt, nec unionem sic hypostaticam tuentur ».

N.B. De hoc argumento. Difficile probatur eos etiam Patres qui negant in Christo homine fuisse progressum aut ignorantiam tetigisse nostram quaestionem. Cum rem habeant cum Nestorianis vel Agnoetis, excludunt sane tum hominem esse in Christo, qui ignoret, tum ipsum Verbum in humanitate seu incarnatum ignorare quidquam, at non considerant praecise quaestionem nostram, quae est de intellectu hominis subsistentis in Verbo.

2° **Negative**, id est, cum theologis communiter, ostendendo ea quae solent opponi tanquam erroris aut ignorantiae indicia non probare intentum.

a) *Progressus sapientiae* (*Lc.* 2, 52). Hunc quidam veteres Patres admisisse videntur sine explicatione, aut potius permiserunt ; alii intellexerunt de clariori sapientiae ingenitae manifestatione. Non tamen ita clare refellunt progressum ut ignorantiam. Sed absentiam progressus simpliciter dicti confirmaverunt theologi, tum auctoritate consensus communis, tum opportuna distinctione scientiae acquisitae et naturalis a scientia supernaturali. Cf. Knabenb. in *Lc.* p. 149, s. et thesim praecedentem.

b) *Interrogationes Christi* probant simpliciter eum processisse humano modo in docendo vel conversando cum hominibus. Secus enim, agens semper et loquens juxta suam divinitus haustam scientiam, vix « inventus esset ut homo ».

c) *error circa ultimam diem*, quam putaverit, imo docuerit fore proximam, scilicet in fine generationis tunc viventis, v. gr. *Matth.* XXIV. 3.36 ; *Marc.* XIII. 3. 32 ; *Luc.* XXI. 7. 27. — **Resp.1°** A priori : illa, quam dicunt, annuntiatio conjecturalis falsa prorsus inverosimilis est, utpote dedecens et Personae dignitatem, et fundatoris Ecclesiae missionem, et ipsum modum agendi Christi, qui non conjecturaliter aut dubitanter docere solet, aut ea asserere quae nesciat. — **2°** Ipse textus evangelii ostendit Christum non putavisse finem mundi esse proximum : nam multa facta praenunciat certissime ante adventum suum complenda, quae longum temporis tractum exigunt ; praes. Ecclesiam suam, veram societatem externam, omnibus hominibus destinatam, paulatim in orbem universum esse extendendam, antequam veniat finis. (*Mt.* 13, passim, speciatim v. 47-49 ; 26, 13 ; 28, 19 ; *Mc.* 14, 9 ; 16, 15 ; 24, 47 ; *Act.* 1, 8) ; quod con-

firmatur ex praedicta repudiatione Judaeor. et Gentil. conversione : parab. vinicolarum (*Mt.* 12, 9 ; *Mt.* 21, 43 ; *Lc.* 20, 16), parab. coenae (*Mt.* 22, 1 ; *Luc.* 14, 16), praedictione ad occasionem fidei centurionis (*Mt.* 8, 11 ; *Lc.* 13, 29), adjunctis praesertim admonitione se non missum esse nisi ad oves domus Israel et commendatione ut Apostoli prius Judaeis praedicarent, deinde Gentilibus.— Quare **3°**, etiam exegesi interna inducimur ad acceptandam interpretationem traditionalem, sec. quam Christus ut proximam nunciat ruinam Jerusalem, et simul, sed non ut proximum, finem mundi, quem illa praefigurabat. (Cf. KNABENB. in *Mt.* II, 345 ; in *Mc.* 355 ; in *Lc.* 551, et LAGRANGE : *Evangile selon saint Marc*, p. 310 sqq. et 328 sqq.). Quae solutio adeo fundatur in considerationibus exegeticis ut etiam increduli fateantur ibi de duobus eventibus, quorum unus, excidium scilicet Jerusalem { *Marc.* XIII. 6-18 + 28-31 ; *Matth.* XXIV. 4-20 + 32-35 ; *Luc.* XXI. 8-24 + 28-33 } praevidendus ex certis signis dicitur atque in generatione praesenti futurus, alter, « dies scilicet Domini » { *Marc.* XIII. 19-23 + 32-33 ; *Matth.* XXIV. 27-31 + 36-42 ; *Luc.* XXI. 25-27 + 34-36 } dicitur subitus, inexpectatus, improvisus, incerto tempore futurus, imo forte diu tardans dicitur. - **4°** Loca similia admittunt pariter solutionem exegetice valde plausibilem v.gr.: z) *Matth.* XVI. 27-28, juxtaposita videntur duo Christi dicta, quorum prius de fine mundi agit — quin quidquam de tempore addatur, - - posterius vero de instaurando regno Dei per praedicationem evangelicam. Cf. etenim loca parallela apud *Marc.* VIII. 38-IX. 1 et *Luc.* IX. 26-27. (Cf. LAGRANGE, *op. cit.*, p. 214-215). y) *Matth.* XXVI. 63-64 ; *Marc.* XIV. 62 ; *Luc.* XXII. 67-70 : Christus, mutuato sermone *Psalmi* CIX. 1 et symbolo *Danielis*, VII. 13, affirmat simpliciter se aliquando manifestandum id quod est, regem scilicet et judicem messianicum atque Filium Dei. De tempore nihil affirmat, nam vox « videre » in hujusmodi sententiis non necessario significat proprie visionem : cf. v. gr. *Deut.* XXVIII. 10 ; *Ps.* XLVIII. 11 ; LXXXVIII, 49 (LAGRANGE, *op.cit.*, *p.* 376.)

d) *Ignoratio* quam videtur asserere *diei judicii (Marc.* XIII. 32). A catholicis datae sunt solutiones sequentes... Ignorat,

α) **ut Deus**, quia non ipse est principium suae scientiae ; quia non est munus ejus hoc docere.

β) **ut homo** { simpliciter nescit { quia caret visione beatifica ; quia visio ejus beatifica limitatur : vel objective : non omnia videt ; vel subjective : obscurata manet pars intellect. } ; quia voluit omnes nostras infirmitates experiri. } { non scit ex humanitate { quatenus ex divinitus hausta scientia cognoscit ; quatenus habet naturam quae alias nescit ; quatenus nondum expertus est hanc diem } ; non est munus ejus docere. }

γ) ignorat **ratione sui corporis mystici**, quod sumus nos.

Re vera, parvi refert utrum dixerit se ignorare ut homo an ut Deus, nam quaestio apostolorum non erat quo titulo sciret sed num sciret simpliciter. Et hinc est cur consensus paulatim factus sit in solutione per « *tacendi dispensationem* », quae applicari potest Christo ut Deus vel ut homo, quatenus non ipsius est officium scire, quia non ipsius est officium revelare. Verum est eam solutionem multis semper displicuisse. — S. Bernardus dicebat sic ascribi Christo mendacium (M. 182, 947 A) et exegetae non timidi fatentur hoc esse exemplum casus ubi exegesi standum est affirmationibus theologiae. — Attamen minus dura forte minusque arbitraria videatur ei qui attendat Christum alibi non semel professum esse *se non loqui nisi ea ad quae docenda missus si* a Patre, v gr.: « Verba quae ego loquor a me ipso non loquor » (*Joan.* XII. 20). « Ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo » (*Joan.* VIII. 26). « A me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, haec loquor ». (*Joan.* VIII. 28).

Jamvero, sicut non ejus est dare sedere ad dexteram vel ad sinistram, non ejus est etiam docere « tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate » (*Act.* I. 7). Eadem proinde potuit profiteri se nescire quia, ut legatus Dei, nescit, non vult scire.

Quo si referas opinionem dicentium Christum, *per visionem beatificam, non apprehendisse nisi ea quae voluerit,* facile admittes eum non vidisse, nescivisse proinde, id quod non erat revelaturus. Neque sic contraitur opinioni communi ; solutio enim ad hoc redit : Christus, sicut ipse dicit, nescit diem judicii, quia hoc scire non facit, non pertinet ad suam missionem.

Articulus III.

DE CHRISTI IMPECCABILITATE.

THESIS XXVIII. — Christus 1) **non tantum non peccavit,** 2) **sed etiam, ratione unionis hypostaticae, absolute impeccabilis erat ;** 3) **imo fomitem peccati, ne in actu quidem primo, habuit.**

Tres quaestiones : 1ª de impeccantia, contra Nestor, Calvin, rationalistas, etc. ; 2ª de impeccabilitate, sive de facto et in ordine praesenti ; sive etiam de possibili et in quolibet ordine, seu de radice impeccabilitatis ; 3ª de immunitate a fomite (intrinseco incitamento ad peccatum).

I. **Impeccantia** (III. *q.* 15. *a.* 1). *De fide,* quoad peccatum et originale et actuale ex. conc. Ephes. (D. B. 122), Cp^no. II et III (225 et 291) et Florent. (711).

1° Ex Scriptura testante absolutam ejus immunitatem a peccato, v. gr. *Joan.* VIII. 46 ; XIV. 30 ; II *Cor.* V. 21 ; *Hebr.* VII. 26 ; IX. 14 ; I *Petr.* I. 19.

2. Ex affirmationibus Patrum eum esse innocentia perfectissimum et quidem quia Deus est seu quia Redemptor : v.gr. S. Hilar. : de *Trinitate.* X. 25 (M. 10, 365) ; S. Augustinus : *cont. serm. Arian.* 7 (M. 42, 688) ; S. Cyrill. Alex. *cont. Anthropomorph.* 23 (R. J. 2141).

3. Ratio. Peccatum repugnat Christo : Deo, judici ; repugnat fini incarnationis ; repugnat visioni Dei. Quoad peccatum originale, adde quod sanctificatio Christi non poterat pendere ab Adam, neque aderat conditio ad hanc dependentiam requisita.

II. **Impeccabilitas absoluta.**

Praenotanda. Duo sunt in hac parte consideranda : factum et ratio facti.

A) *Quoad factum,* vix est ullus inter catholicos dissensus. Attamen Güntherus impeccabilitatem proprie dictam non admittebat, sed tantum impeccantiam, et quidem eam quae esset tantum consequens : Christus de facto non peccavit nec impeccabilis dici poterat nisi quia praevidebatur a Deo non peccaturus. Impeccantiam econtra antecedentem admittunt omnes catholici, hoc sensu quod Christi is erat status ut peccare non posset, quatenus,antecedenter ad exercitium ejus libertatis,affirmari poterat non peccaturus. Et haec pars assertionis habetur ut *theologice certa,* imo forte ut *fidei proxima* propter argumentum traditionis.

B)*Quoad rationem facti,*dissensus est primum inter scholam scotisticam et alias. a) *Scotistae* enim repetunt eam impeccabilitatem ex sola Providentia extrinseca, qua Deus tuetur omnes eos qui visione beatifica fruuntur. Radix proinde impeccabilitatis non est Christo intrinseca, non est unio ipsa hypostatica sed visio beatifica. Christus proinde, etsi de facto et talis qualis est, erat impeccabilis, tamen, absolute loquendo, potuisset esse peccabilis. Quae doctrina, ex declaratione S. Congregationis jussu Pauli V edita (Viva : *de Trinit. disp.* V. q. 6. n. 6.), non potest notari censura theologica. Et jure quidem, siquidem, affirmata impeccabilitate antecedenti reali, non dissentit nisi circa quaestionem de possibili. — b) Ceteri vero *theologi communiter* dicunt rationem ultimam impeccabilitatis esse unionem hypostaticam,ita ut absolute, etiam de possibili, repugnasset Christum peccare. — Et haec est sententia quam asserit thesis et quae, quatenus est de possibili, admittitur esse intrinsece *certa.* — **N. B.** Sedulo caveas confundere rationem ultimam seu *radicem impeccabilitatis* et *causam formalem* impeccabilitatis. Hic de hac ultima non agitur : sensus proinde theseos est tantummodo unionem hypostaticam ejusmodi esse ut non potuerit ullo modo fieri in natura non absolute *tuta contra peccatum.* Quomodo vero procuretur hoc munimen seu haec impeccabilitas, utrum visione beatifica an aliis donis et auxiliis, in alia thesi videbitur.

Probatur. — 1. *Traditione* adeo tenente Christum esse, ratione unionis hypostaticae, nulli peccato obnoxium ejusque voluntatem humanam divinae conformem,ut,ex hoc, evacuarentur difficultates motae ab Apollinaristis et Monotheletis contra existentiam in eo sive mentis sive voluntatis humanae : — Vide conc. Cp^{lm} III — oecum. VI — argumentans cum S. Athanasio et S. Gregorio (D. B. 291) — Cf. etiam Petav. XI. 10 ; Suarez : *Disp.* XXXII. 2.

2. *Ratione :* Impeccabilitatem exigit a) plenitudo gratiae,quae facit eum confirmatum in gratia ; b) consummatio gloriae seu status beatificus qui non magis permittit beatum praevaricare quam damnari ; c) unio divinae personae : nam, si peccaret humanitas Christi, Verbum ipsum per suam humanitatem peccaret, quod esset, sine ulla ratione legitimante, peccatum assumere, approbare, dignificare. Imo, ipsa divina persona peccaret, non implendo suum munus continendi in officio voluntatem naturae assumptae, quam habet sibi unitam et omnino subordinatam. — Hinc intelligitur quare *naturae assumptae* non repugnent passio et mors,*repugnet vero peccatum*.Priores enim, ut sunt malum physicum, non afficiunt nat. divinam et, ut sunt bonum morale, eam econtra decere possunt ; posterius autem,qua malum physicum,non afficit sane nat.divinam,sed,qua malum morale,dedecet sanctitatem Dei, qui propterea tenetur illud,cum possit,arcere ab omni voluntate, quam habet suam.

Corollaria. — 1. Ex dictis,*unio* est prima et praecipua *radix impeccabilitatis*. Unio enim formaliter sanctificat, ergo formaliter et ex se excludit maculam. Actum autem peccaminosum non excludit nisi exigitive, exigendo scilicet gratias efficaces et connaturaliter visionem intuitivam ; *executive* tamen *non excludit* actum peccati per se ipsam, quia non est ipsa princip. eliciens, principium quo, actuum humanorum.

2. Solus Christus est ab *intrinseco* et constitutive *impeccabilis*. Tamen ejus humanitas est minus impeccabilis, positive, quam divinitas.

3. Nulla etiam admitti potest in Christo *imperfectio positiva*, quia dedecet personam quae possit eum impedire et quia, ratione unionis hypostaticae, erant gratiae semper efficaces ad implendam Dei voluntatem.

III. **Immunitas a fomite peccati** (III. *q.* 15. *a.* 2 ; Suarez : *Disp.* XXXIV. *s.* 2).

Praenotanda. 1° *Fomes peccati* in genere est incitamentum seu tendentia ad peccatum ex appetitu sensibili. Sed in lingua theologica non significat simpliciter appetitum sensibilem aut motus ejus inordinatos sed eos, *prout* eorum *deordinatio consequitur ad privationem ordinationis* quam in statu innocentiae dona praeternaturalia procurabant, seu prout ea deordinatio est non tantum ad peccatum sed etiam a peccato. Eadem proinde inclinatio non appellaretur fomes in statu naturae purae, quia, etsi inducens ad peccatum, tamen non esset a peccato.

2° Fomes *in actu* 1° est ipse appetitus expeditus et quasi proxime dispositus ut praevenire possit rationem et illi contradicere. — Fomes *in actu* 2° est actualis motio.

3° Fomitem *ligari* est sopiri, seu procurari per Providentiam externam ut non prodeat in actum haec inclinatio, sive removendo objecta incentiva, sive conferendo auxilia transeuntia. Fomitem *extingui* est extingui eam inclinationem, qua est a peccato et ad peccatum, seu ita instructum esse

appetitum sensitivum ut, ne praesente quidem objecto incentivo, possit prodire in actum contrarium rationi.

4° Hinc apparet quid sit dicere *Christum immunem a fomite*. Non est sane dicere eum caruisse appetitu sensitivo, aut eum appetitum non elicuisse eos actus sibi connaturales,quos Christi voluntas permittebat vel semel pro semper, ut rationi conformes, permiserat. (III. *q.* 15, *a* 2. *ad* 2[m]). Sed hoc est dicere a) *in actu* 2°, eum de facto non expertum esse motiones ullas actuales ad aliquem actum contrarium suae voluntati, eas proinde motiones appetitus sensitivi, quae *objective* erant contra voluntatem Dei, v. gr. praecipientis mortem, non fuisse in eo nisi quia ipse voluit eos motus experiri, tum ad poenam, tum quia naturales hominis ; — b) *in actu* 1°,eum non fuisse destitutum illis donis praeternaturalibus quibus instructus erat Adamus in statu innocentiae ex et quibus fiebat ut ejus appetitus non posset, etiam praesente objecto incentivo, prodire in actum absque consensu voluntatis.

5° *Nota theseos* : a) Immunitas in actu secundo *de fide* est,ex conc. Cpl[ano] II (oecum. V.) (D. B. 224) ; b) in actu primo est *theologice certa*.

Probatur. — A) *In actu secundo*. 1° Traditio adstruit factum, ut constat tum definitione concilii citata, tum dictis Patrum v. gr. S. Basilii (*Epist.* 261, 3 R. J. 92) ; S. Leonis Magni (*Epist.* 35. 3 R. J. 2184) ; S. Gregorii Magni (*in evang.hom.* I 16. 1 R. J. 2330),quae consonant dicto S. Augustini : « Quisquis credit carnem Christi contra spiritum concupisse, anathema sit » (*Op. imperf. cont. Jul.*IV. 47 M. 45, 1396). — 2° Ratio justificat factum. Actualis tendentia praevertens ad objectum pravum dedecet — assistentiam a Verbo debitam humanitati suae,— sanctitatem summam Christi, — perfectiones intellectus ejus et voluntatis, — superioritatem ejus supra Adam innocentem, beatos, — immunitatem perfectam a peccato originali.

B) *In actu primo :* a) hoc etiam clare docent textus citati. — b) Ratio : Appetitus proxime dispositus ad motus inordinatos est effectus peccati originalis, sanctitati adversans; est inordinatio et mala dispositio facultatum; est aliquid moraliter turpe, ad finem Incarnationis inutile ; praeterea aderant, quae impediebant hanc inordinationem, qualitates naturales et supernaturales, atque gratiae plenitudo.

Nec dicas : In Christo fuit consequentia peccati, quae est mortalitas ; nam mortalitas in Christo fuit non ut consequentia peccati sed ut naturalis homini.

Subsumes : At etiam fomes est naturalis homini. — **Resp.** Dist *:* Naturalis est fomes,intellectus de appetitu sensitivo simpliciter(*concedo*), naturalis est intellectus ut a peccato et ad peccatum (*nego*). Christus ergo assumpsit naturalem appetitum qui naturaliter est ad peccatum ; sed quia assumpsit eum munitum iis auxiliis quibus muniebatur in Adamo, non habuit eum qualis est [historice] a peccato. Proinde ea munimina, quibus permanenter ornabatur,ratio sunt cur appetitus in Christo neque sit a peccato neque ad peccatum.

Corollaria. — 1 Fomes ille fuit extinctus et quidem ab initio : rationes enim allatae huc usque probant. — 2. Christi appetitus numquam motus est absque voluntatis consensu : quod quomodo sit intelligendum habes ex *q.* 15. *a.* 2. *ad* 2^m^ ; *q.* 18 *a.* 5. et *q.* 14. *a.* 2 c. *in fine.* « Ipsae etiam operationes naturales et corporales aliqualiter ad ejus voluntatem pertinebant in quantum voluntatis eius erat ut caro ejus ageret et pateretur ea quae sunt sibi propria ». — 3. Non potuit Christus tentari ab intrinseco. Neque in contrarium facit *Hebr.* IV. 15, nam hic locus, ut patet ex collatione cum locis parallelis (*Hebr.* II. 10. 14-18 et V. 7-8), loquitur non de tentatione sed de poenis quas expertus est Christus (cf. πεπειρασμένον in IV. 15 et πειρασθείς in II. 18). Sensus generalis est : Habemus pontificem qui, ut nos animaret, voluit omnia vitae mala experiri, quin tamen assimilatio ad nos produceretur usque ad peccatum.

Articulus IV.

DE CHRISTI LIBERTATE.

1° De existentia et amplitudine ejus, 2° de ejus conciliatione cum impeccabilitate.

§ I. EXISTENTIA ET AMPLITUDO HUJUS LIBERTATIS.

THESIS XXIX. — 1) **Humana Christi voluntas libera fuit, 2) etiam inter actus inaequalis bonitatis objectivae.**

I. Existentia hujus libertatis. (III. q. 18).

Agitur, non de libertate a servitute, sed a coactione externa et a necessitate interna. Omnes qui admittunt humanam voluntatem Christi, fatentur etiam libertatem a coactione ; sed non minus certa est libertas a necessitate, contra Jansenistas. Utraque *de fide*, ex evidenti doctrina Script. et trad.

1. Script. Ille est liber a coactione et a necessitate, qui tum sponte agit, quia vult, tum eligit unum, cum posset aliud eligere, tum agit aut patitur, cum posset abstinere ab hujusmodi actione aut passione. Atqui Christus ut homo ita. (*Jo.* VII, 1 ; *Mt.* XXXVII, 34 ; *Hebr.* XXII, 2 ; *Jo.* X, 17, s.).

2. Patres (*cf.* Petav. IX. 8 et Suar. XXXII, 2).

3. Ratio th. — a) Christus meruit (Trid. D. B. 790, 799). Atqui, ad meritum requiritur libertas etiam a necessitate (Pius V cont. 39^am^ prop. Baii D.B.1039 ; Innoc. X, cont. 3^am^ *prop. Jans.* D.B.1094).— b) Habuit integram naturam humanam, ad sanandam eam integram ; habuit omnes ejus perfectiones non incompossibiles cum fine Incarnationis. — c) Non potuit necessitari bonis finitis non necessario connexis cum fine ultimo. Atqui multa illi occurrebant hujusmodi...

II. Amplitudo ejusdem (W. 408). Cum Chr. admittere non posset pec-

catum neque imperfectionem positivam, quaeritur utrum liber fuerit tum in rebus a Deo praeceptis, tum etiam in rebus non praeceptis, sed inaequalis perfectionis objectivae. De rebus praeceptis, in th. seq. Nunc vero quaeritur utrum Chr. necessitatus fuerit ad optimum, an contra potuerit, omisso actu objective perfectiore, minus perfectum ponere.

1ª *Sententia*, quam refert Lugo XXVI, *n.* 128, tenet Christum *necessitatum* fuisse physice *ad optimum*. — 2ª *Sent.*, quam tuentur Lugo, n. 132, 134 ; Viva, *p.* 6, *d.* 2. *q.* 3, et alii, ait illum necessitatum fuisse *moraliter ad optimum*. — 3ª *Sent.*, quae est W. 408 ; Arriagae, *d.* 43, *s.* 3 ; Mastrii, *d.* 5, *q.* 4, *a.* 1, et aliorum, docet Christum *liberum* fuisse etiam moraliter ad eliciendum actum *minus perfectum*, omisso perfectiore. — Hanc ut *probabiliorem* tenemus, licet non negemus Christum, de facto, semper elegisse actum perfectiorem. **Probamus :**

1° **Negative** (W. 408). Necessitas eligendi perfectius veniret vel a) ex perfectione Christi operantis, vel b) ex aliqua ejus obligatione erga Deum aut seipsum. Atqui non a) *ex perfectione :* scil. neque ex unione et sanctitate infinita, neque ex visione intuitiva et perfecto amore Dei possessi : 1° non ex unione, quia neque Deus necessitatur ad optimum ; ratio a priori est quia actus Christi et Dei sunt perfectissimi ex ipsa dignitate subjecti ; 2° non ex visione, quia tum Christus agebat ut viator etiam, tum videbat actus suos quoslibet placere Deo et esse perfectissimos. — Non b) *ex obligatione agendi semper modo perfectissimo*, quae non datur pro pura creatura, nec potest dari pro Christo saltem ex lege naturali, quia omnes ejus actus sunt infinite Deo gloriosi, et aptissimi ad finem Christi attingendum ; aliunde gratis supponeretur hic speciale Dei praeceptum.

2° **Positive.** — a) Necessitas physica ad optimum nullam fere libertatem Christo relinqueret ; necessitas moralis idem ferret incommodum. — b) Id quod non confert ad majorem Dei gloriam aut majorem perfectionem propriam negligi potest sine imperfectione praesertim positiva. — c) Conf., quia haec sententia facilius explicat libertatem Christi v. g. in obeunda morte, etc.

§ II. CONCILIATIO LIBERTATIS CUM IMPECCABILITATE.

THESIS XXX. — Cum impeccabilitate conciliatur libertas Christi viatoris circa actus praeceptos — I° sive ex praecepti limitatione, quatenus vel 1) non attingebat determinate circumstantias morales actus, vel 2) erat dispensabile, vel 3) non erat rigorosum ; — II° sive 4) ex indifferentia principiorum agendi. Hanc 4ªm sententiam tenemus ut probabiliorem.

Praenotanda. — *Difficultas* fundatur non in sola impeccabilitate, sed in *impeccabilitate, adjuncto praecepto*. Inter varias solutiones, aliae libertatem quaerunt in principio electivo actus, aliae in aliqua praecepti limitatione :

In principio elicitivo actus : 1° *Thomistae*, qui putant libertatem servari, quia voluntas Christi, in sensu diviso praecepti, potest dissentire,

sicut omnis voluntas in sensu diviso praedeterminationis. 2° *Scotistae*, ex quibus libertas servatur, quia praeceptum est illi extrinsecum. — Contra utrosque est quod omnis suppositio antecedens, actum determinans, et a voluntate inimpedibilis, hujus liberam determinationem impedit. Cf. SUAR. XXXVII, 3 et v. *Tract. de gratia*. — 3° *Molina* et alii, qui repetunt libertatem Christi ex indifferentia intrinseca principiorum actus elicitivorum : quam sententiam exponit 4ª pars thesis.

In aliqua praecepti limitatione alii quaerunt explicationem libertatis Christi circa actus praeceptos. Ad quod intelligendum, praenotanda est notio praecepti, et divisio ejus in praeceptum rigorosum et non rigorosum ; praecepti rigorosi, in absolutum (indispensabile) et non absolutum (dispensabile, ex consensu superioris, per non acceptationem, aut petitionem revocationis) ; advertendum praeterea praeceptum ipsum rigorosum posse attingere aut non attingere singulas circumstantias morales actus praecepti. Hinc intelligitur triplex systema in primis partibus thesis enuntiatum ; quae singula primo exponuntur et judicantur.

I. **Christi libertas ideo praeceptis affirmativis non ablata est, probabiliter, quia illa non determinasse videntur circumstantias morales actuum** : v. g. tempus, motivum, intensitatem actus, etc. Christus proinde libere elegit circumstantias quas voluit, et ita elicuit actum in concreto liberum, licet per praeceptum necessitaretur ad actum in genere et in abstracto. Ita VASQUEZ, BECAN, VALENTIA, SUAREZ (*Vives*, t. 18, p. 285 et 296), PLATEL, n. 318, FRANZ. 450. etc. etc.

Hujus vero sententiae probabilitas minuitur, quia in eo etiam actu concreto libero, non praecise impletio praecepti libera videtur, sed electio circumstantiae moralis non praeceptae.

II. **Inde etiam libertas repeti potest,** in praeceptis positivis (non naturalibus), praesertim in praecepto moriendi pro nobis, **quod Christus,** ex Patris consensu, **potuisset praecepto se subducere,** scilicet, vel praecepti impositionem impedire (ut quidam censent), vel etiam non ponere circumstantias in quibus solis obligare debebat (ULLOA), vel potius ejus revocationem obtinere (ut docet LUGO XXVI, 8, et alii).

Cf. PLATEL, n. 327 ss. Modus praesertim quo rem proponit LUGO est probabilis. Quoad praecepta legis naturalis, idem admittit sententiam praecedentem 2ªm. Ita etiam ANTOINE, DE RHODES...

III. **Probabile est praecepta illa positiva,** praesertim praeceptum moriendi pro nobis, **non fuisse rigorosa,** ac proinde non necessitatem intulisse Christo. Hanc sent.exponit LUGO, l.c., defendunt PETAV. (IX, 8), WIRC (n. 412, ss.), PLATEL (n. 330), et multi quos refert FRANZ. p. 450 et 443, STENTR. (p. 1201), JUNGM. (n. 315), BILLOT (p. 211).

Hanc explicationem non omnes eodem modo exponunt. Sic dici posse videtur ex plurium mente : in praeceptis rigorosis, ut sunt v. g. negativa naturalia, Christus non habuit libertatem, nisi quoad circum-

stantias, ut tenet sent. 1ª. Idem dicendum esset de praeceptis positivis, si rigorosa essent. At vero haec, et praesertim praeceptum moriendi pro salute hominum, non rigorosa fuisse, ita explicatur : posito quod Pater vellet, voluntate beneplaciti, aliquid a Christo fieri libere, non illud rigorose praecipiebat, quia, post tale praeceptum, Christo impossibilis fuisset libera electio. Sed satis erat beneplacitum Patris a Christo cognosci, ut illud statim adimpleret, ex amore Patris. Haec vero voluntas beneplaciti, etiam non intimata cum obligatione obediendi, dicitur recte praeceptum Patris, quia praeceptum solet esse signum beneplaciti superioris, ac proinde adhiberi potest pro ipso beneplacito (quod aliquando fit in ipsa Scriptura Sacra). Ceterum inferior, se conformando tali beneplacito, facit actum obedientiae, etiam perfectiorem (2. 2. *q.* 104, *a.* 2 et *a.* 5 *ad* 3ᵐ). — Dabatur ergo praeceptum minus strictum, obligans tantum sub poena late sumpta.

Hic tamen aliqui auctores addunt, posse supponi Christum a Patre ultro petiisse, « ut, quod suae electioni permittebat, sibi hoc accuratiore imperio praeciperet... Sic utrumque obtinebimus, ut et liberrima optione Christus mortem per tot cruciatus subeundam susceperit, et in hoc strictae ac rigidae obedientiae partes impleverit. » (Petav. IX, 8).

Probatur haec sententia : 1. Ex Script. Duo concilianda sunt : Christus, moriendo, adimplevit voluntatem Patris, et tamen libere mortuus est, et poterat non mori. Atqui haec duo optime conciliantur in hac sententia, non in ceteris aeque perfecte. E. — Magna quidem opponitur difficultas ex impropria intellectione vocis « praecepti », contra ordinarium Scripturae usum (P. 339). Sed, 1° non desunt omnino in Scriptura exempla impropriae hujus intellectionis (v. gr. *Matth.* XIX. 7. 8 ; *Marc.* X. 3. 5 ; 2 *Reg.* XVI. 10, 11) ; 2° ita improprio sensu nomen mandati intelligunt Patres in controversia contra Arianos, quando explicant quomodo Pater potuerit praecipere Filio suo (Fr. 445) ; 3° non deest ratio cur per figuram praeceptum (signum voluntatis superioris) adhibeatur pro re significata, et confirmatur, quia hujusmodi praeceptum improprium sufficit ad obedientiam ; 4° tandem, si vis servare strictum sensum vocis praecepti, recurre ad animadversionem Petavii superius allatam.

2. Patres aliquando hanc sententiam suadent. Nota tamen multos textus, quos afferre solent auctores, loqui de libertate divina Verbi contra Arianos. W. 414.

3. Ratio nulla valida militat pro existentia praecepti rigorosi (saltem antecedentis), et conveniebat benignitati Patris et dignitati atque generositati Filii ut illud non imponeretur. — Neque praeceptum hujusmodi requirebat tota praeordinatio Redemptionis facta a Divinitate antecedenter ad existentiam Christi.

Judicatur haec sententia. — 1. *Incauta* est quia a) *nullum* admittit in Christo *actum obedientiae proprie dictae*, siquidem ex D. Th., quem invocat, executio rei quae non est praecepta non constituit nisi obedientiam « large acceptam », dum ad obedientiam « proprie acceptam » requiritur quod quis

impleat praeceptum. Jamvero haec sententia excludit omne praeceptum proprie dictum, etiam ad modum regulae cujus violatio inferret aliquam imperfectionem positivam, siquidem, ut vidimus, haec non minus impossibilis est in Christo quam ullum peccatum veniale — b) admittit Christum *nullum meritum* habuisse *ex observatione ullius praecepti divini* sive naturalis sive positivi.

2. *Arbitraria* est nec sufficienter attendit statum quaestionis. Quaestio enim non est utrum obedientia, qualem inducit, fuisset meritoria, neque utrum adfuerit erga aliqua, sed est utrum ea obedientia, de qua S. Scriptura et traditio loquuntur, non fuerit nisi hujusmodi. Jamvero non sufficit dicere vocem « mandatum » in genere ferre illum latiorem sensum, sed oportet eum esse sensum ubi agitur de Christo. Hoc autem non esse constare videtur — a) ex eo quod consilium divinum restaurandi hominem per mortem Christi affirmatur ab ipso Christo fuisse ab aeterno fixum : « Nonne oportuit (ἔδει) pati Christum (*Luc.* XXIV. 26 et cf. *Act.* II. 29 ; IV. 28) — b) ex eo quod redemptio ascribatur obedientiae Christi compensantis inobedientiam Adami : *cf. Rom.* V 19 quomodo ὑπακοή opponatur παρακοῇ. Et haec est ratio cur Patres, ut videbimus, adeo urgeant satisfactionem Deo praestitam fuisse per observantiam praecepti quod contempserat Adamus — c) ex eo quod S. Paulus adeo firmiter ascribat obedientiam Christo (*Rom.* V. 19 ; *Philipp.* II. 8) ut dicat eum, « ex eis quae passus est, didicisse obedientiam » (*Hebr.* V. 8) — d) ex eo tandem quod ipse Christus tanta cum emphasi dicat se accepisse mandatum (*Joan.* X. 18), se agere ex mandato (*Joan.* XII. 49 ; XIV. 31), se facere opus a Patre praescriptum (*Joan.* XVII. 4), nec facere suam voluntatem sed Patris, v. gr. *Luc.* XXII. 42.

IV. Ideo videtur servata libertas voluntatis Christi sub praecepto, quia omnia principia actionis immediate influentia erant ab intrinseco indifferentia (non necessitata ad unum).

Haec sententia, qua talis, admittitur ab omnibus qui non confugiunt ad praecepti limitationem : omnes enim illi admittendum habent Christi voluntatem, non obstante impeccabilitate ex unione hypostatica aut visione beatifica, libere adimplevisse praeceptum. Imo facile concordant in evacuanda difficultate ex unione hypostatica. Sed, ubi explicandum est quomodo Christus, non obstante visione beatifica, liber fuerit in servando praecepto v. gr. mortis subeundae sub poena peccati incompossibilis cum visione beatifica, alii in alias abeunt sententias : Thomistae, ut dictum est, inducunt suam distinctionem de sensu composito et sensu diviso (*cf.* v. gr. apud Salmanticenses, *Disp.* XXVII n. 101 sqq) ; Scotistae admittunt amorem beatificum non necessitare ab intrinseco ; Molinistae, cum aliis, oriuntur potius ex analysi conditionum requisitarum ad exercitium libertatis et ex distinctione apud Christum status viatoris et status comprehensoris. *Cf.* Molina : *Concord. d.* 53.*m.*4, vel in I *q.* 44. *a.* 3, dist. 8 ; Suarez *Disp.* XXXVII. 3 et 4 ; Pesch, n. 317 *sqq.* ; Platel n. 333 *sqq.* — His

ultimis plus minusve adhaerendo, exponemus quo modo possit concipi manere libertatem voluntatis Christi in sensu composito impeccabilitatis, visionis beatificae et praecepti rigorosi.

1. *Unio non destruit indifferentiam principiorum proxime influentium* : videtur verum et tenetur, praeter praecedentes, a SUAREZ, XXXVII, 3 ; LESSIUS, *q.* 18, *a.* 4 ; CONINCK ; *Raynaud...;* BILLOT, p. 209, etc.

Non tollit 1° per seipsam, quia non est operativa ; non 2° per assistentiam specialem, qua conferuntur auxilia efficacia quidem, sed ab intrinseco indifferentia, et quorum efficacitas repetitur a libero consensu voluntatis per scientiam mediam praeviso. — Nec obstat quod unio hypostatica sit conditio antecedens incompossibilis cum inobedientia, quia haec conditio non influit directe in ipsam determinationem voluntatis humanae, sed in electionem divinam auxiliorum illi conferendorum : ita ut, sub illis auxiliis, eodem modo operetur, ac si non daretur unio. Cf. PLATEL, n. 336. — Et tamen conservatur impeccabilitas, et quidem ab intrinseco, quia illa auxilia Christo debentur ab intrinseco et conferuntur quia praevisa efficacia. — (V. diff. ap. PESCH. n. 326 sqq.).

2. *Status beatificus*, i. e. visio intuitiva et amor summus ex ea necessario resultans, *non tollit indifferentiam eamdem :* hoc a plerisque rejicitur ; tenetur tamen a MOLINA, l. c., et a PESCH, n. 334, s. ; a SUAREZ, *sect.* 4, non rejicitur et videtur probabile.

Difficultas est quod *amor*, in statu beatifico, resultans ex visione beatifica, *necessariam faciat obedientiam praecepto irrevocabiliter connexo* cum summo bono seu quod visio beatifica procuret ipsa impeccabilitatem. Solutio communis est quod, quia Christus erat simul viator et comprehensor, Deus disponebat ut adesse possent actus viatoris proprii, qui regebantur scientia infusa et naturali et amore seu voluntate his respondente. At caveas ne *distinctio illa duplicis status* solutionem mere *verbalem* faciat : cum *unica* tandem aliquando sit Christi *voluntas humana*, non multum juvat eam non ligari ex aliquo capite si ex alio ligatur Hinc est cur *insistendum sit in statu omnino speciali* qui erat Christi comprehensoris.

Considerandum ergo est visionem intuitivam ideo connaturaliter tollere *in beatis* libertatem, quia in summo bono apprehendit omnia nec sinit ullam rationem mali apprehendi ex qua facultas adsit voluntati aliud volendi ac ipsum summum bonum : ubi enim nulla ratio mali apprehenditur, ibi nulla possibilitas non volendi. Christus proinde, si fuisset simpliciter et exclusive comprehensor, in nulla re apprehendisset rationem mali, ideoque non habuisset libertatem physicam erga praeceptum rigorosum,quod apprehendisset tantum ut irrevocabiliter connexum cum summo bono.

At scimus illum fuisse de facto etiam *viatorem*,ita ut posset mereri, proindeque *libere agere ;* imo cum *non ita fuisse beatum ut non posset etiam tristari*, tristitia non tantum sensibili sed etiam spirituali. In hoc ergo differebat status ejus beatificus a statu beatorum simpliciter, quod, etsi, « secundum mentem, plene videbat Deum et sic habebat beatitudinem, quantum ad id

quod est proprium animae », tamen « ejus anima passibilis erat ideoque tendebat ad beatitudinem secundum quod de illa ei deerat » (III. *q.* 15. *a.* 10 et *De verit, q.* 29 *a.* 6 c. in fine).

Jamvero non poterat anima Christi esse passibilis seu experiri repugnantiam, tristitiam de rebus a Deo irrevocabiliter decretis, qualia erant v. gr. peccata jam commissa, ingratitudo Judaeorum et futura Jerusalem ruina, damnatio praevisa peccatorum *etc.*, nisi quia, per derogationem ad leges connaturales status *beatifici, visio summi boni non impediebat apprehensionem, per aliam viam* — scientiae scilicet infusae et naturalis — *rationis mali in eisdem rebus.*

Ergo, ex statu Christi qualem cognoscimus, scimus visionem beatificam permisisse eum apprehendere rationem mali in re ceterum irrevocabiliter connexa cum summo bono.

Hoc autem posito, jam concludere licet *visionem* eamdem *nec physice ligasse voluntatem* erga praeceptum rigorosum. Ideo enim ligasset visio voluntatem quia in praecepto irrevocabiliter connexo cum summo bono exclusisset apprehendi ullam rationem mali. Atqui de facto scimus eam non exclusisse hujusmodi apprehensionem : scimus enim hoc praeceptum apprehensum esse a Christo, scientia infusa et naturali, ut sibi aliquatenus malum, ita ut erga illud experiretur repugnantiam inefficacem sane at realem. Ergo visio non ligabat voluntatem.

Dices : At *voluntatem ligabat amor summi boni*, qui, cum necessario consequatur ad ejus in se apprehensionem, exigit amari pariter omne id cujus denegatio, propter irrevocabilem connexionem, induceret jacturam summi boni. Male ergo infertur aliquem, in casu Christum, etsi cognoscat summum bonum, tamen posse eligere jacturam ejus seu peccare, quod in statu comprehensoris videtur impossibile.

Respondemus : a) quod dicitur de amore necessario consequente ad cognitionem et amorem summi boni verum esse de omni beato simpliciter. At *de beato, qualis est Christus*, qui nempe viator praeterea est et meriti atque passibilitatis capax, hoc praecise in quaestione est, utrum, ratione visionis qua talis, sit necessitatus ad volendum id quod vult seu exigit summum bonum, an econtra, attenta sola visione qua tali, dici debeat liber et peccati capax — b) *impeccabilitatem* proinde Christi *non oriri formaliter ex visione beatifica* sed ex unione hypostatica, quae, quatenus excludit omnem maculam, eo ipso exigit gratias conferri quarum ope infallibiliter procuretur victoria in repugnantiam, quam producit praeceptum, et adimpletio libera praecepti.

Unde et in forma : — Qui necessario amat summum bonum, is necessario amat praeceptum irrevocabiliter cum eo connexum : *dist* : qui necessario amat summum bonum *ex apprehensione ejus excludente apprehensionem mali in praecepto connexo*, is. etc... (*conc.*) — Qui necessario amat ex apprehensione permittente apprehendi rationem mali in praecepto connexo *(nego)*. — Atqui Christus necessario amat summum bonum : *contradist :*

Amat ex apprehensione permittente apprehendi rationem mali in praecepto connexo *(conc.)* ; ex apprehensione hoc excludente (*nego*).

Inst. 1° — Hoc non est amare necessario summum bonum, nam amari necessario est ita amari ut impossibilis sit aversio ; atqui ex nobis admittitur aversio possibilis.

Resp. distinguendo assumptum : Hoc non est amare summum bonum *eodem modo quo beati* simpliciter *(conc.)* ; non est amare *modo connaturali ei qui beatus ac praeterea viator* est *(nego)*. — *Ad probat.* Amari necessario est ita amari ut impossibilis sit aversio ; *dist* : amari necessario et necessario efficaciter est ita amari ut impossibilis sit aversio efficax *(conc.)* ; amari necessario sed sive efficaciter sive inefficaciter est ita amari ut impossibilis sit aversio : *subdist :* aversio tum efficax tum inefficax *(conc.)* aversio efficax *(nego)*.

Ad minorem : Atqui ex nobis admittitur aversio possibilis : *contradist* : admittitur aversio efficax, attenta sola visione beatifica (*conc.*) ; attenta tum visione beatifica tum unione hypostatica, admittitur possibilis aversio efficax (*nego*), inefficax (*conc.*). — *Ergo* summum bonum non amatur a Christo necessario : *subdist. :* non amatur necessario ab eo sicut ab aliis beatis (*conc.*) ; non amatur necessario efficaciter, attenta sola visione beatifica (*conc.*) ; non amatur necessario sive efficaciter sive inefficaciter (*nego*), nam, etiam in hypothesi quod Christus, ex aversione efficaci mortis, se efficaciter avertisset a summo bono, tamen etiam tunc illud inefficaciter seu secundum quid appetivisset.

Aliter : Facultas quae fertur invincibiliter in mortem non potest eam detrectare. Atqui voluntas Christi fertur invincibiliter in mortem. Ergo non potest eam detrectare.

Resp., distinguendo. Facultas, quae invincibiliter in mortem fertur motu efficaci, non potest eam detrectare efficaciter (*conc.*) ; non potest eam detrectare inefficaciter (*nego*). — Facultas, quae invincibiliter in mortem fertur motu tantum inefficaci, non potest eam, *si vult*, detrectare efficaciter (*nego*).

Atqui voluntas Christi fertur invincibiliter in mortem ut summo bono connexam : fertur motu saltem inefficaci (*conc.*) ; motu efficaci, si velit, *conc.* ; motu necessario tantum : *subdist. :* si, nulla via, mors ei exhibetur ut mala (*conc.*) ; si qua via mors ei exhibetur ut mala (*nego.*)

Ergo voluntas Christi non potest detrectare mortem : non potest eam ita detrectare ut ne quidem inefficaciter in eam feratur (*conc.*) ; non potest eam detrectare efficaciter : *subdist.* ; consequenter ad suam liberam electionem (*conc.*) ; antecedenter, iterum *dist.* : si non ei exhiberetur per aliquam viam ut mala (*conc.*) ; cum ei exhibeatur per unam viam ut mala, (*nego.*)

Sane, voluntati Christi mors, per visionem beatificam, exhibetur ut undequaque bona, proindeque ex hac consideratione fit ut non possit in eam non ferri motu saltem inefficaci ; imo efficaciter omnino ferretur in eam, si non exhiberetur illi nisi per hanc viam. At per alias etiam vias, scilicet scientiam infusam et naturalem, mors ei exhibetur, et quidem ut

bona, quatenus permittens servare summum bonum, at etiam *ut mala*, quatenus suae naturae mala. Et hinc est cur, si vellet, posset eam detrectare efficaciter. At etiam tunc pergeret in eam ferri inefficaciter, ut cum summo bono connexam : uno verbo detrectaret eam simpliciter sed secundum quid appeteret.

In hoc ergo non differt status ejus a statu cujuslibet viatoris, nam mihi deliberanti de peccato seu eligenti inter summum bonum et rem duram quam exigit, res ea exhibetur ut, ratione connexionis ejus cum summo bono, undequaque bona ideoque motu saltem inefficaci invincibiliter appetibilis, sed quia eadem sub alia ratione mihi exhibetur ut mala, ideo, non obstante motu illo in eam, possum libere eam detrectare et cum ea summum bonum pariter.

Differentia proinde inter nos et Christum est quod actus cognitionis quo mors ei exhibetur ut connexa cum summo bono est, non tantum judicium intellectuale, ut apud nos, sed etiam visio beatifica. At, quia, hoc non obstante, mors ei tamen apparet ut mala, ideo posset eam, ex hoc capite, detrectare.

Inst. 2° — Ergo Christus *non possidebat summum bonum tam perfecte quam beati.*

Resp. cum D. Th. III. *q.* 15 *a.* 10 : quoad id quod pertinet ad essentiam beatitudinis *(nego)* ; quoad id quod pertinet ad perfectionem beatitudinis (*conc.*). Ad essentiam enim beatitudinis non pertinet quod fruitio summi boni excludat passibilitatem animae seu apprehensionem, via alterius scientiae, rationis mali in re quae, etsi, ut connexa cum summo bono, est bona, tamen, ut inferens dolorem naturae humanae, est mala. — Et hoc admittendum est omnibus, nisi negent Christo beatitudinis essentiam : «Christo defuit aliquid eorum quae ad beatitudinem perfectam requiruntur, scilicet impassibilitas animae » (D. Th. *De verit. q.* 29. *a.* 6.)

Inst. 3° — Ergo *status beatitudinis permittebat peccatum in Christo.* Atqui non potest hoc admitti. — Ergo.

Resp. : concedo majorem. — Distinguo minorem : Non potest permitti peccatum in Christo, ratione status beatifici qua talis, si aliunde non excluditur (*conc.*) ; si aliunde, ratione scilicet unionis hypostaticae et gratiarum debitarum, excluditur (*nego*). Sensus ergo solutionis est quod *impeccabilitas Christi non procurabatur formaliter visione beatifica ;* quod econtra visio illa seu status beatificus in Christo ita temperabatur ut viatori possibile esset actus physice liberos elicere, quibus mereret beatitudinem « quantum ad ea quae illi deerant», quod nihil est aliud nisi dicere : Christus poterat *repugnantiam inefficacem experiri etiam quoad eas res praeceptas quae, efficaciter aversae, importassent privationem summi boni.* In quo nullum est inconveniens, cum inefficax illa repugnantia non officeret sanctitati substantiali ; persona enim divina poterat eam eo magis in sua natura humana permittere quod infallibilem certitudinem habebat se posse, per gratias aptas, eamdem continere et procurare acceptationem efficacem praecepti repugnantis. Uno verbo, extendimus ad eas etiam res id quod admittitur

communiter de iis rebus quae non ita connectuntur cum fruitione summi boni. Ampliamus ergo tantum ea quae habet R. D. Billot (*thes.* 23) : consequenter ad statum qui fuit Christi connaturalis, « unicuique virium permittebatur id agere quod sibi proprium erat » : ergo etiam appetitui rationali.

Inst. 4° — Obedientiam seu impeccabilitatem,quam non procurabat visio summi boni, nulla gratia potuerit procurare.

Resp. Nulla gratia posset procurare id quod non procurat summum bonum visum et possessum ut fit connaturaliter a beatis simpliciter(*conc.*); quod non procurat summum bonum visum et possessum modo quo fit a Christo (*nego*).

Inst.5°—Atqui,ne quidem in conditione speciali Christi,potest ulla gratia procurare obedientiam, quam non procurat summum bonum ; nam ideo procuraret quia faceret magis splendescere summum bonum.Jamvero nulla gratia potest addere splendori summi boni in se apprehensi. Ergo.

Resp. Nego assumptum et nego probationis majorem. Gratia enim procurabit consensum, non illustrando, sed *confortando voluntatem*. Non enim deest excessus bonitatis in summo bono prae malo quod producit repugnantiam, sed adest repugnantia ipsa voluntatis, quae vincenda est.

Inst. 6°— Tandem, ex hoc sequitur Christum *meruisse sibi conservationem summi boni*,quod potuisset amittere. Atqui hoc repugnat.

Resp. Christus posuit actus qui, *de se*, *potuissent ei hoc mereri*, si non fuisset in statu excludente amissionem seu si possessio, fruitio, conservatio summi boni non fuisset ei *aliunde* et antecedenter ad omnem ejus actum *jam debita* (*conc.*) ; de facto hoc meruit (*nego*). — Solutio desumitur ex S. Thoma (*De veritate q.* 29. *a.* 6 et III *q.* 14. *a.* 3),ubi dicit quod ad meritum duo requiruntur, *status merendi* et *facultas merendi*. Jamvero Christo *inerat quidem facultas, deerat autem status merendi* quoad id quod proprie et principaliter constituit beatitudinem animae (III *q.* 15. *a.* 10. c. et *ad* 2^m^). Hinc est cur non meruerit sibi de facto summum bonum — « quia, cum meritum non sit nisi ejus quod nondum habetur, oporteret quod Christus illo caruisset », quod fuisset contra ejus dignitatem (III. *q.* 19. *a.* 3) — sed tantum impassibilitatem animae.

Corollaria : 1° Sententia proposita, cum servet Christo libertatem omnimodam, explicat eum *observasse libere quaelibet praecepta* proindeque meruisse in omnibus suis actibus. Nec, quia repetit impeccantiam ex gratiarum auxiliis, ideo in dubium ponit Christum ornatum fuisse excellentissima charitate. Econtra admittimus eum summa charitate elegisse mortem, et omnia quae Patri placita erant fecisse semper : obedientia praecepto vero non tollit charitatem (III. *q.* 47. *a.* 2. *ad* 3^m^).

2° *Praescientia omnium actuum sibi ponendorum* ideo non nocebat libertati Christi, quia illa praescientia jam supponebat eos futuros esse liberos ; praesciebantur quia futuri erant, non futuri erant quia praesciti. Praevisio erat consequens non antecedens. Imo, si haec scientia destruxisset libertatem, destruxisset scipsam, destruendo nempe suum objectum. Praevidebat enim eos futuros libere ; et, si necessitasset, destruxisset suum objectum. Sane, in sensu composito, cum praescientia actus futuri non poterat componi omissio illius actus ; sed ille sensus compositus pendet a Christi voluntate ; haec ipsa praescientia

ergo pendet ab ejus libertate ; nam, si Christus nunc vellet aliud eligere, aliud Deus praevidisset et Christum docuisset. (Cf. Suarez. *Disp.* XXXVII, 5).

Articulus V.

DE POTENTIA HUMANITATIS CHRISTI.

THESIS XXXI. — Humanitas Christi non est quidem omnipotens, sed praeter potentiam propriam sive naturalem sive gratuitam, accepit, prout est instrumentum Verbi sibi personaliter uniti, potentiam permanentem patrandi quaelibet mirabilia ad finem Incarnationis ordinata. (3. q. 13).

1. Christus, ut homo, dici debet omnipotens, per communicationem idiomatum. Naturam vero humanam non esse omnipotentem *(a.* 1) jam constat, refutato eutychianismo et ubiquetismo. Ceterum natura finita non est capax attributi infiniti.

2. Potentia humanitatis Christi potest tripliciter distingui : 1° naturalis ; 2° supernaturalis : has exercet sicut ceteri homines in ratione causae principalis ; 3° instrumentalis, prout est organum Verbi ad ea operanda, quorum sola Divinitas potest esse causa principalis. De duabus primis, nihil speciale addendum iis quae jam cognoscimus de natura ejus et de elevatione naturae *(a.* 2).

3. Potentia miraculorum permanens et universalis, constat ex toto Evangelio : *v. g.* curat infirmos *(Mt.* XI, 4) virtute ex ipso exeunte *(Lc.* VI, 19 ; VIII, 43-46), nutu voluntatis *(Mt.* VIII, 2) et potestate propria ; ejicit daemonia *(Mc.* I, 34) ; compescit mare *(Mc.* IV, 39) ; mortuos suscitat *(Lc.* VIII, 11-17 ; VIII, 41-56 ; *Jo.* XI, 1-46)... Cf. S. Cyrill. hieros. *cat.* 10, n. 19. — Haec pot. ei competebat tum ratione missionis, tum ratione dignitatis.

Haec potentia fuit in eo multo perfectior quam in ceteris, tum permanentia, tum facilitate, tum universalitate *(a.* 2 et 4), tum faecunditate qua se discipulis communicabat. — Exerceri poterat speciatim circa proprium corpus *(a.* 3).

Quaeritur autem utrum influeret *physice*, an *moraliter*.— Sane in multis, v. g. distantibus, tantum moraliter ; in aliquibus, potuit, ut videtur, influere physice ; in plerisque, non facile intelligitur quomodo potuerit existere physicus influxus ; ceterum plane *sufficit influxus moralis*, quo scilicet, ad ejus voluntatem, et aliquando ad contactum seu ad vocem ejus, etc., Divinitas ipsi conjuncta miraculum operabatur. S. Athan. *Or.* 4. *c. Arian.* (M. 26, 391) de sanatione socrus S. Petri dicit : Christus « humano more manum extendit, divinitas autem morbum compescuit ». *Cf.* S. Jo. Damasc. (M. 94, 1051) ; S. Th. III, *dist.* 16, *q.* 1. *a.* 3 ; Platel, n. 259. Haec Christi potentia permanens non male compararetur, in suo modo agendi, cum sacerdotali potestate consecrandi. *Cf.* Billot in *q.* XIII.

Articulus VI.

DE NATURALIBUS HUMANITATIS CHRISTI TUM PERFECTIONIBUS TUM DEFECTIBUS.

THESIS XXXII. — Christus assumpsit 1) corporis et animae perfectiones naturales, sed simul 2) defectus toti naturae communes, qui non repugnant perfectae gratiae et scientiae ; 3) omnes videlicet qui ad passibilitatem pertinent tum corporis tum animae, 4) non obstante fruitione beatifica aut impeccabilitate.

I. **Perfectiones** (Suar. XXXII).

1. *Corporeas* habuit omnes viatori consentaneas, non repugnantes fini Incarnationis : quas requirebat perfectio personae, praestantia artificis, excellentia materiae. Proinde excludendus omnis defectus particularis permanens, quia nec naturalis, nec de se conferens ad finem Incarnationis, nec potest oriri nisi vel ex imperfectione formationis, vel ex proprio excessu, aut imprudentia.

Speciatim excludenda est deformitas, et asserendus videtur decor virilis (Suar. s. 2 ; P. 233 ; St. 939 ; Petav. X, 5 ; « *Etudes* » t. 44, p.531). — E Scriptura nihil certi ; quidam Patres negaverunt, ex iis textibus qui ad Christum flagellis concisum pertinent. Ceterum optime advertunt formositatem illam, quam in Christo extollunt Scripturae, esse a divinitate et sanctitate. Cf. Aug. *in ps.* 44. Attamen, quidam, ut S. Chrys. (M. 57, 346) ; S. Hieron. (M. 22, 627 ; 26, 57) ; S. Bern. (M. 183, 454) ; S. Anselm. (M. 158, 860)... laudant etiam ejus pulchritudinem corpoream. — Assertionis hujus sensum optime exponit S.Thomas : *in Ps.* 44, n. 2. — Et probatur, quia decor a natura per se intenditur, et ejus defectus oriri non posset in Christo nisi vel ex defectu causarum agentium (B. V. M. speciosissimae, et Spiritus Sancti), vel e speciali Dei voluntate, perfectam naturae operationem impediente.

2. *Anima Christi,* considerata ut substantia spiritualis et intellectiva, fuit naturaliter omnium perfectissima, saltem in suis facultatibus (*Cf.* I. *q.* 85, *a.* 7), prout decebat Personam divinam. (*Cf.* Monsabré, t. 9 : *Les perfections de J.-C.: L'intelligence, la volonté, le Cœur.*) Considerata ut forma corporis, habuit etiam facultates sensibiles perfectas, sive cognoscitivas, sive appetitivas, easque rationi in suis operationibus perfecte subditas.

II. **Defectus naturales, communes, irreprehensibiles** (III. *q.* 14.)

Status questionis. 1. Non assumpsit qualitates praeternaturales corporis glorificati, nec animae impassibilitatem sed defectus naturales (omnibus communes) iisdem contrarios et incommoda et mala inde consequentia ; assumpsit ergo naturalem animae passibilitatem, et inde consequentes passiones, praeter eas quae contradixissent perfectae ipsius scientiae aut sanctitati. Dixi : *defectus naturales omnibus communes* (*q.* 14. a. 4), non particulares, quae oriuntur non ex sola natura, sed ex causa par-

ticulari. — Illos autem defectus assumpsit, *non contraxit*, siquidem eos non incurrit ex debito peccati ; libere acceptavit ab initio *(Hebr.* X, 5) ; libere permisit ut effectum naturalem producerent ; tandem libere posuit causas ex quibus naturaliter incommoda vel mala sequebantur.

2° Refellimus : 1° haereticos : praeter Docetas et Eutychianos in genere, magis specialiter Eutychianos acephalos incorrupticolas ; 2° aliquos catholicos, qui putabant corpus Christi, naturaliter impassibile, per miraculum tantum, fuisse, tempore passionis, sua impassibilitate orbatum (P. 224, 228). -- Quod de facto Christus habuerit hos defectus, *est de fide* ; quod habuerit tanquam naturales, *certum.*

Probatur : 1° Ex Scriptura, quae testatur eum sitivisse, esuriisse, fatigatum esse, potuisse compati infirmitatibus nostris (*Hebr.* IV. 15 ; V. 8-9 ; II. 18) ; quae connectit ejus passionem et mortem cum conditione naturae quam assumpsit (*Hebr.* II. 14-17).

2° Ex ratione (*q.* 14. *a.* 1) : conveniebat eos assumi, ad satisfactionem praestandam, ad fidem Incarnationis adstruendam, ad exemplum patientiae exhibendum. S. Bonav. : ad pretium salutis, ad exemplum virtutis, ad fulcimentum nostrae fragilitatis in credendo, sperando, amando.

III. **Passiones corporis et animae.** (q. 15. sqq.)

Sensu generali, passio dicitur tum omnis receptio, tum praecipue alteratio qua amittitur aliquid quod conveniebat naturae aut inclinationi. Sensu magis proprio, est, in sentientibus, vel affectio doloris (passio corporalis) vel affectio quaelibet appetitus sensitivi appetentis bonum aut refugientis a malo (passio animalis). Sensu derivato dicitur etiam de affectionibus appetitus intellectivi. — Assertio est *theologice certa.*

1° *Probatio generalis* (*q.*15.*a.* 4). — a)Pertinent ad naturam humanam. — b) Evangelium ostendit (S. Aug. *C. D.* M. 41, 414). — c) Hoc erat conveniens, ut Christus se verum hominem ostenderet ; ut consolaretur nos ; ut exemplum praeberet ; ut passiones sanaret. — d) Neque dedecent Christum, quia eas habuit aliter ac nos, 1° quantum ad objectum : nunquam tendebant ad illicita ; 2° quantum ad principium : nunquam praeveniebant sed sequebantur rationem et voluntatem ; 3° quantum ad effectum : nunquam impediebant rationem ; ideo *propassiones* dicendae (Hier.).

2. *Probationes speciales,* de aliquibus passionibus. — a) **Amor** sensibilis : *Mc.* X, 21 : « Jesus, intuitus eum (juvenem), dilexit eum. » *Jo.* X, 36 : ad sepulcrum Lazari, etc. Amavit Matrem, discipulos, amicos, omnes homines. — b) **Aliae passiones ex amore derivatae** : odium, desiderium, gaudium, spes, audacia. (P. 237). Ceteras etiam in Christo exstitisse, probat specialiter S. Thomas (*q.* 15, *a.* 6-9), quia id magis directe fundatur in Scriptura et traditione, et aliunde speciales patitur difficultates. — c) **Tristitia** (*a.* 6) : *Mt.* XXVI, 37, 38, de quo S. Aug. *in ps.* 93 (M. 37,1208). — Tristitia enim est affectus aversionis in malum praesens. — Pervenit etiam ad partem intellectivam, aversantem mala aut propria aut aliena secundum se, licet ea vellet ut a Deo volita. — Neque delectatio compre-

hensoris impediebat naturales motus viatoris. — **Timor** (*a.* 7) : *Mc.* XIV, 33 ; SS. Patres (STENTR. 999). Apprehendebat malum futurum, et ut futurum aversabatur. — c) **Admirato** (*a.* 8) *Mt.* VIII, 10 = Affectio animae (tum sensitivae, tum rationalis) ex apprehensione rei novae et haberi conveniebat ad nostrum exemplum. — f) **Ira** (*a.* 9) : *Jo.* II, 17 ; *Mc.* III, 5 ; *Cf.* AUG. apud S. TH. — Actus appetitus sensitivi, conantis repellere malum praesens in ipsum insurgendo, erat in Christo justus et ordinatus : Zelus.

IV. Tristitia et dolor sive sensibiles, sive etiam intellectuales non impediebantur impeccabilitate aut fruitione beatifica.

Facto existentiae illarum passionum jam mox probato, duo explicanda veniunt : 1° quomodo tristitia et repugnantia, quam Christus expertus est v. gr de subeunda morte a Patre volita, non officiat ejus impeccabilitati : quo complebuntur theses tum de existentia duarum in Christo voluntatum, tum de impeccabilitate et libertate ; 2° quomodo eaedem fuerint physice compossibiles cum fruitione beatifica, quo complebitur thesis de libertate Christi in adimplendo praecepto.

1° *Tristitia et dolor* seu repugnantia Christi erga mortem a Patre praeceptam *non officit ejus impeccabilitati,* seu non fuit deordinata (*Cf.* PESCH. n° 150-151 ; BILLOT : *thes.* 27ª ; STENTRUP : *Christologia, thes.* 53ᵉ p. 855 sqq et *thes.* 62ᵉ p. 983-sqq.)

A) **De repugnantia sensibili.** Non fuit deordinata quia a) non erat contra mortem ut a Deo volitam : appetitus enim sensibilis non aversatur res sub illa ratione sed ut sunt in se malae — b) non aversabatur mortem contra aut citra sed juxta voluntatem legitime permittentem hujusmodi aversionem — c) etsi repugnantia, voluntate hoc permittente, erat quam maxima, tamen infallibiliter et efficaciter coercebatur, ita ut voluntatis exercitium nullo modo impediret.

B) **De tristitia seu repugnantia spirituali** major est difficultas. (cf. III. *q.* 18. *a.* 3 et 6).

Adfuisse in Christo duplicem illam voluntatem aut potius duplicem illum ejusdem voluntatis humanae actum,quo,juxta tritam in scholis distinctionem *voluntatis ut natura, voluntatis ut ratio,* mortem suam v.gr. detrectaret simul inefficaciter acceptaretque efficaciter, dubium esse nequit tum propter ipsius Christi simultaneas assertiones : « Tristis est anima usque ad mortem. Si fieri potest, transeat a me calix iste. Non mea voluntas sed tua fiat » ; tum quia hoc est naturale et mors non poterat non causare ei tristitiam spiritualem,sive quatenus erat mala in se, sive quatenus praenoscebatur fore ex peccato et cum tot sequelis pro persecutoribus suis. Contra possibilitatem physicam illius utriusque motus difficultas sane magna est ex statu beatifico — quae mox solvetur.

Nunc autem dicimus eum non officere impeccabilitati Christi,quia neuter deordinatus erat nec ulla erat discordia formalis sive inter eos sive cum

divina voluntate. — **a**) Nullus motus erat deordinatus, siquidem *voluntas ut ratio* semper erat conformis Dei voluntati : volebat enim mortem absolute et efficaciter, ex motivo simul obedientiae et redemptionis juxta Dei consilium operandae ; voluntas autem *ut natura* deordinata non erat *neque objective :* quia mortem detrectabat non ut a Deo imperatam sed ut in se et sibi malam ; imo faciebat erga illud objectum id quod Deus volebat ab ea fieri, aversionem scilicet experiri naturalem, ex qua esset pugna, dolor et meritum ; *neque subjective ;* quia non existebat praeter aut contra permissionem voluntatis ut ratio, quae volebat, sicut et Deus, adesse aversionem mortis dolorosam et inefficacem; nec, quamvis maxima, impediebat actum voluntatis, cum esset circa objectum materialiter at non formaliter idem.

b) *Nulla proinde discordia formalis :* z) **duarum inter se voluntatum.** Nam α) *circa volitionem* conformes erant : voluntas enim superior permittebat volitionem quam inferior eliciebat; β) *circa objectum volitionis materialiter* quidem sumptum erant discordes ; at in hoc nullum est inconveniens, quia contradictio esset tantum ex discordia circa idem obj. formale. Sed praecise *circa obj. volitionis formaliter sumptum non erant discordes*, nam de morte ut in se mala voluntas superior permittebat inferiorem elicere actum aversionis, mortem vero ut a Deo volitam, quam voluntas superior acceptabat, inferior non aversabatur. — y) **neutrius voluntatis cum Deo,** nam α) *voluntas superior* et efficax conformis fuit semper Dei voluntati sive materialiter sive formaliter ; β) *inferior* autem conformitatem cum Deo habuit circa volitionem semper : volebat enim *inefficaciter* circa mortem *id quod Deus volebat eam velle.* Circa obj. volitum materialiter sumptum non erat conformis : hanc autem difformitatem circa rem ipsam materialem Deus volebat ; sed circa obj. formaliter sumptum erat conformis quia Deus volebat adesse in ea eam aversionem mortis ut in se et sibi malae.

2° *Tristitiam in Christo non impediebat physice status ejus beatificus.* (III. *q.* 15, *a.* 10 ; Billot : *Thes.* 23 et Pesch. n. 257-261.)

Tanta est in hoc difficultas ut non defuerint *negantes* Christum habuisse gaudium ex visione beatifica, quod supponeret eum non fuisse formaliter « beatum ». Imo nonnulli optimae notae theologi hoc admiserunt saltem *pro tempore passionis* : divina virtus tunc cohibuisset gaudium ne prodiret ex visione. Ita M. Cano, Greg. de Valentia, Salmeron, Maldonat *(cf. ap.* Pesch. n. 259). — Attamen *sententia communis* admittit compossibilitatem gaudii cum tristitia et dolore tum sensibili tum spirituali et eam explicat ex differentia actuum status viatoris et comprehensoris necnon ex differentia objectorum formalium eorumdem actuum.

A) **De corporis et animae passibilitate in genere** : a) *corpus* manere potuit passibile, quia corporis gloria et beatitudo non est per redundantiam naturalem operationum beatificarum, quae nihil sensibile habent in suis conditionibus aut exercitio, sed tantum ex magna convenientia, cui, in casu Christi, praevalebat convenientia major ut corpus maneret passibile — b) *anima* passibilis etiam esse potuit quia, praeter actus visionis

beatificos, habuit actus viatoris, v. gr. scientiam infusam et naturalem, ex quibus prodire poterat amor eis correspondens. — Jamvero, in subjecto sic disposito, cum fruitione beatifica coexistere poterant.

B) **Dolor et tristitia sensibilis** : quia objectum eorum formale est diversum ab objecto fruitionis, nec redundantia in partem sensibilem est consequentia naturalis gaudii beatorum.

C) **Dolor et tristitia spiritualis** : quia

a) *ex parte objecti* est differentia formalis. Jamvero simultaneitas duorum actuum in potentia spirituali non repugnat nisi ex eorum contrarietate formali, ut patet ex multis exemplis, v. gr. parentum, qui simul dolent et volunt filium suum ingredi religionem ; judicis, qui condemnat amicum quem vellet indemnem ; et intelligitur ex eo quod obj. materiale non afficit appetitum nisi sub ratione mali et mali, quae mutatur, mutato respectu.

b) *ex parte subjecti* simultaneitas repugnaret, vel, in genere, ex eo quod haec differentia motuum appetitus spiritualis esset contradictoria, aut uterque motus esset efficax, vel, in specie apud Christum, ex intensitate gaudii quod faceret tristitiam impossibilem. Atqui

z) *haec differentia motuum non est contradictoria,* quia non versantur circa idem sub eodem respectu, nam gaudium est de morte, v. gr. ut cognita tanquam a Deo volita, dolor econtra de eadem ut cognita tanquam in se mala. — **Nec dicas** : Haec distinctio non est nisi in mente, in apprehensione, cum deberet esse in appetitu aut in ipsa re ut explicaretur quomodo appetitus posset simul dolere et gaudere ; ratio namque reddenda est quomodo eadem res, mors v. gr., quae delectat, quatenus identificatur cum summo bono, possit simul contristare. — **Resp.** enim eam distinctionem existere aliquatenus in re, siquidem mors non identificatur cum summo bono nisi quatenus apprehenditur ut a Deo volita. Proinde, cum appetitus sequatur mentis apprehensionem, si quis potest apprehendere mortem ut non identificatam cum summo bono sed ut sibi nocivam, appetitus habebit unde de ea, sicut gaudet, sic etiam doleat.

y) *non uterque motus est efficax,* ut jam supra diximus, proindeque mors non simul appetitur et avertitur.

x) *intensitas gaudii non faciebat in Christo tristitiam de morte subeunda impossibilem.* Difficultas haec est maxima, quia summum gaudium videtur excludere tristitiam, sive physice, quatenus exhaurit activitatem facultatis appetitivae, sive psychologice, quatenus summum gaudium non linquit locum tristitiae. Attamen vindicatur possibilitas utriusque motus tum physica, tum psychologica.

α) *Physica.* Etiam apud nos, aliqua gaudii intensitas non excludit aliquem dolorem de eadem re, v. gr. occasione alicujus calamitatis, gaudere quis potest de Deo glorificato ac dolere simul de ruina tot hominum. Sane, est etiam aliquando, v. gr. in extasibus, tanta intensitas gaudii, quae excludat physice omnem doloris sensum. Sed, primo, comparatio cum Christo beato non valet, quia, in extaticis, absorptio facultatis appetitivae in solo actu gaudendi provenit ex absorptione imaginationis sine cujus operatione

non potest esse ulla operatio intellectualis. At, in Christo, sicut et in beatis, actus intellectivus visionis beantis exercetur sine consortio partis sensitivae proindeque non est locus eidem absorptioni. Praeterea confortari potuit facultas Christi per miraculum, quod in eo fuisset connaturale statui ejus : miraculum enim erat quod existeret Christus, Deus-Homo et Redemptor, comprehensor simul et viator ; sed omnia cetera connaturaliter sequebantur, ratione sive naturae, sive personae, sive muneris et finis obtinendi.

β) *Psychologica.* Difficultas procedit ex eo quod de essentia summi gaudii est totaliter beare et satiare animam, ita ut nullus maneat tristitiae locus. Responsum est in hoc quod illa plenitudo gaudii, illa satietas animae, illa totalitas beatitudinis non est hujusmodi ut excludat omnem alium actum voluntatis erga aliud objectum quod non pertineat ad essentiam illius summi boni. *Ex eo enim quod illud gaudium sit summum non sequitur illud esse integrum sub omni respectu*, ut constat apud beatos, qui, etsi summe beantur, tamen aliquod adhuc bonum desiderant, v.g. ubi expectant glorificationem corporis sui ; ubi clamant : Vindica, Deus, sanguinem nostrum; ubi pro nobis Deum rogant. Et ratio est quia summum bonum se solo summe beatificat, ita ut, etsi cetera bona desint, quae cum eo non identificantur, vel cetera mala adsint, quae non sunt ejus exclusiva, tamen ex sola ejus praesentia plene satietur appetitus. Exinde enim sequitur tum non posse desiderari ullum bonum acquirendum alia via ac per adhaesionem summo bono tum non posse, perseverante adhaesione summo bono, averti efficaciter ullum malum irrevocabiliter connexum cum conservatione summi boni, at non sequitur non posse nunc desiderari aliquod bonum postea per adhaesionem summo bono acquirendum aut non posse nunc inefficaciter averti aliquod malum irrevocabiliter connexum cum conservatione summi boni.

Aliis verbis, ideo compossibilis psychologice *tristitia* cum summo gaudio, quia *oritur ex desiderio alicujus boni quod non constituit summum gaudium sed illud tantum modo integrabit.* Quod autem adesse possit summum actu gaudium quin sit actu totum integrum, hoc provenit tum ex transcendentia summi boni, tum ex eo quod *gaudium illud* creatum *non est absque omni actuum compositione :* uno quidem actu apprehenditur id quod constituit essentiam summi gaudii, quod se solo plene satiat animam ; sed non uno actu apprehenditur quidquid hoc bonum secum trahit. Hinc est cur difficultas reducatur ad hoc, num voluntas totaliter defixa in fruitione summi boni possit alium actum exercere circa aliud objectum. Et ex desideriis beatorum hoc esse constat. Jamvero, si anima beata potest elicere actum desiderii, ergo etiam actum repugnantiae inefficacis.

PARS ALTERA.

DE MYSTERIO REDEMPTIONIS

SEU

DE CHRISTO SALVATORE.

THESIS XXXIII PROOEMIALIS. — Christus, mediator naturalis Deum inter et homines, est etiam mediator moralis, utpote Redemptor, atque ideo Sacerdos, Magister atque Rex spiritualis. (P. 411-414 ; Fr. 494 ; Petav. XII, 1, 2).

Mediator (medius inter duos pluresve, ad eos aliquo modo conjungendos et concíliandos) cum iis quos inter medius est aliquid commune habeat oportet, eisque conjunctus sit in ipso ordine ontologico, ut munus conciliationis exercere possit in ordine morali. In ordine ontologico, alii sunt mediatores inter Deum et homines tantum per gratiam, et secundarii ; solus Christus *mediator est naturalis* et primarius ; conjungit enim in se naturam divinam et humanam.

Jamvero *finis* propter quem existit Christus, mediator naturalis, est *mediatio moralis :* reconciliatio Dei et hominum, atque ideo restitutio humani generis in statum pristinum : homo, potest satisfacere pro hominibus ; Deus, reddit satisfactionem suam condignam et Deo summopere acceptam, atque ita, reparando injuriam Deo illatam, solvit hominem a servitute peccati et diaboli. Mediator est, ut homo in persona divina subsistens :

Munus ergo Mediatoris in Christo est ipsum *munus Redemptoris ;* sed hoc ipsum, si adaequate sumatur, includit *munus sacerdotis*, *magistri* seu prophetae, *regis* et *ducis in via salutis.*

Agemus ergo 1° et praecipue *de Redemptione* stricte dicta, seu de Christi satisfactione et merito ; 2° *de variis Christi* functionibus, *sacerdotio, magisterio, regno.*

Caput Primum :

DE CHRISTI REDEMPTORIS SATISFACTIONE ET MERITO.

Redemptio est proprie restitutio in libertatem amissam, pretio soluto : hic autem, liberatio, reparatio humani generis per satisfactionem et meritum condignum. Homo enim, quia peccando injuriam personalem Deo intulerat, factus erat reus culpae et poenae (servus peccati et daemonis), atque orbatus erat omni bono sup[li]. Redemptio igitur erit solutio compensationis Deo propter peccatum debitae,et, consequenter, liberatio hominis a reatu culpae et poenae, seu restitutio in statum pristinum filiorum Dei (Fr. 477, ss.) ; quam reparationem solus Christus efficere poterat. Christus ergo ideo Redemptor est, quia, satisfaciendo pro peccatis, Deum nobis placavit, et, merendo, nobis bona supernaturalia recuperavit. Agendum ergo tum de Christi satisfactione : videlicet de ejus 1) *realitate*, 2) *necessitate*, 3) *perfectione instrinseca*, 4) *universalitate* quoad terminum, tum 5) de *Christi merito.*

Articulus I.

DE REDEMPTIONIS REALITATE.

Cum Redemptio generis humani sit factum sola fide cognitum, exponenda simul est ac vindicanda doctrina catholica, ita ut constet non repugnare rationi nec inventum esse humanum sed doctrina divinitus revelata. Hinc *duae theses* quarum una est magis *expositoria*, altera magis *historica* seu exegetica.

THESIS XXXIV. — Doctrina catholica de redemptione per satisfactionem Christi non repugnat rationi.

PRIMA PARS : Exponitur doctrina catholica :

A) **Summa doctrinae brevis.** Doctr. cath. affirmat redemptionem, non improprie dictam, qua Christus doctrina solum, exemplo, intercessione, etc., adjuvisset nos, sed proprie dictam, per veram peccati expiationem et nostri reconciliationem cum Deo, liberationemque a servitute daemonis. Christus satisfecit pro nobis satisfactione vicaria, et meritus est pro nobis; atque hoc ipso nobis acquisivit in actu primo liberationem a reatu et poenae, atque gratiam et gloriam, cum facilitate eadem obtinendi in actu secundo, si conditiones adimpleamus, quibus illa satisf. et meritum nobis applicentur.

B) **Documenta ecclesiastica et gradus certitudinis :**

1° *Dogma* est in ipsis symbolis enuntiatum nec diu ulli controversiae obnoxium Christum venisse in mundum ac *mortuum esse propter nos homines*, propter nostram salutem, et eam esse causam cur nos, peccato deleto seu condonato, reconciliati essemus Deo et liberati a servitute diaboli — cf. *Symb. Niceno-Constantinop. ; Athanasianum ;* etc. etc. Adde conciliorum easdem assertiones (D. B. 40, 122, 286, 429, 462, 711).

2° *De modo vero quo Christus morte sua reconciliationem nobis cum Deo procuravit definitiones proprie dictae non sunt.* Inde tantum a concilio Tridentino, enucleata nempe jamdiu analysi peccati ejusque effectuum, affirmationes inveniuntur in documentis magisterii extraordinarii : v. gr. D. B. 790, 799, 904, 938.

3° Quibus si addatur magisterii ordinarii praedicatio de redemptione per satisfactionem Deo exhibitam, dubium esse nequit doctrinam, qualem summatim exposuimus, esse saltem *fidei proximam*. *Cf.* D. Thomas : III. *q.* 48 et 49 ; *catechismus concilii Tridentini, p.* I, *de art.* IV symboli n. 14, 23, 25 et *p.* II. *de sacram. poenit.* n. 85 et 87 ; *schema de doctrina catholica* in conc. Vaticano propositum lucide totam doctrinam exponebat in *cp.* XIV *(Coll. Lac.* VII, p. 515, 543 et *cf. p.* 561 et 566 *canones* 5 et 6 *de mysterio Verbi incarnati* praeparati) : Si quis affirmare praesumpserit satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, justitiae divinae repugnare, anathema sit (5). S. q. non confiteatur ipsum Verbum, in assumpta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo potuisse

satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse, a. s. (6).

C) **Fusior expositio doctrinae.**

1° *Redemptio :* a) quoad nomen (cf. P. PRAT. *La théol. de S^t Paul*, t. I, p. 289) λύτρωσις, vel ἀπολύτρωσις est liberatio alicujus qui obnoxius erat alicui debito, sive officio, sive servituti. Synonyma est vox ἀπελευθέρωσις. Pretium solutum, ubi solvitur, vocatur λύτρον ; unde verba λυτροῦν vel ἀπολυτροῦν ; — b) quoad rem : *sensu lato* designat restaurationem hominis lapsi ad statum justitiae. Includit proinde non tantum reconciliationem cum Deo sed etiam liberationem ab omnibus poenis peccati, reductionem in viam veritatis et sanctitatis, quo sensu saepe apud PP. contra gnosticos consideratur, ita ut includat remissionem peccati, doctrinam a Christo traditam, exempla vitae et mortis ejus in ordine ad docendum verum Dei cultum. *Sensu stricto* non designat nisi partem eam missionis Christi quae est liberatio hominis a statu inimicitiae erga Deum seu a servitute peccati, mortis et diaboli, effecta vi passionis Christi, quam Deus acceptaverit ut sibi satisfacientem pro culpa hominum et ut meritoriam redintegrationis in suam amicitiam.

Qua occasione, n. b. redemptionem a servitute peccati, mortis et diaboli esse potius *a debito sustinendi inimicitiam Dei* seu poenam eam peccati quae est haec servitus ; nam haec est poena connaturalis peccati ut, qui illud committit, desinens esse servus Dei, eo ipso fiat servus peccati et diaboli qui fiunt quasi instrumenta divinae justitiae (cf. III. *q.* 48. *a.* 4 *ad* 1^m, 2^m, 3^m ; *q.* 49. *a.* 1-3).

2° *Satisfactio vicaria* est pretium Deo solutum pro Redemptione nostra. Satisfactio autem est *voluntaria compensatio* rei debitae et, ubi agitur de peccato, definitur « *compensatio offensae in Dei personam factae* » : « Ille enim, ait S. THOMAS, proprie satisfacit pro offensa qui exhibet offenso id quod aeque vel magis diligit quam oderit offensam » (III. *q.* 48. *a.* 2).

Ut bene apprehendatur in quo sit satisfactio, expedit ergo recolere in quo sit offensa Dei personalis omni peccato inhaerens. Haec autem consistit in voluntaria aversione a Deo ut a fine ultimo ; in hoc enim est malitia peccati mortalis (I.II. *q.*73 *a.* 3 *ad* 2^m ; *q.* 87. *a.* 3. c. et 4 c) quod homo, creatura, summum bonum sufficienter cognitum ita parvi pendet ut ab eo tanquam sibi insufficienti avertatur, se convertendo ad bonum creatum. Quo modo agendi laeditur honor divinus, quatenus Deo denegatur illa gloria accidentalis consistens in hoc quod a creatura agnoscatur et appretietur ut summum bonum ; qua laesione nullum sane detrimentum Deus patitur, sed hoc tantum propter suam infinitam perfectionem.

Nunc autem, huic offensae personali, quae est in ipsum ordinis principium (I.II. *q.* 87. *a.* 1 et 3), additur sane in omni peccato peccatum contra Deum ut legislatorem seu conservatorem ordinis, quo titulo, Deo, ut tutori ordinis, debetur satisfactio aut potius satispassio poenalis, quia Deus debet, ad tuendam legem et ad praecludendum ejus contemptum, saevire in delinquentes. At haec poenae perpessio sedulo distinguenda est a satisfactione proprie dicta, quia de se non est voluntaria. (I. II. *q.* 87. *a.* 6 et 8).

De essentia autem satisfactionis est quod sit voluntaria. Deo enim personaliter offenso satisfit quatenus reparatio est ordinis perturbati seu quatenus ipsi principio ordinis id redditur quod subtractum erat. Subtracta vero erat aestimatio et appretiatio qua praepo-

neretur omni bono creato ; et haec subtractio facta est, quatenus creatura bonum suum excessive amavit et quaesivit. Redintegratio fit proinde ordinis violati, quatenus is qui per nimium sui amorem de Dei bono detraxit, nunc de suo proprio et legitimo bono detrahit in favorem Dei. Haec autem est ratio cur satisfactio non possit esse absque poena et absque voluntate : absque poena, quia « ad ordinem divinae justitiae non reditur nisi per quamdam compensationem poenae, quatenus, qui plus voluntati suae indulsit quam debuit, aliquid nunc contra illud quod vellet spontaneus vel invitus patiatur ». (D. Th. *loc. cit.*) ; absque voluntate, quia perpessio invita non est Deo obsequiosa proindeque nec offensae compensatoria.

Ex his apparet in satisfactione triplicem posse distingui respectum : restitutionis scilicet, placationis et meriti. a) *Restitutionis*, quasi per actum satisfactorium reddatur totaliter vel partialiter tantus honor quanto fraudatus est : justus, v.gr., dum ponit actum ad quem non tenetur, vel in iis circumstantiis fervoris, difficultatis, etc, in quibus eximeretur, Deo dat gloriam ultra suum debitum ; illa honoris quasi superabundantia aequivalere potest saltem partialiter honori quem olim forte subtraxit Deo : adest proinde aliqua restitutio. — b) *Placationis* simpliciter, quatenus, etiam non attento respectu restitutionis honoris, tamen Deus, per illum actum quo se homo prae illo demittit, ita placatur ut ex rationabiliter averso fiat homini jam non rationabiliter aversus. — c) *Meriti* tandem, quatenus aliquis actus, etsi, qua satisfactorius seu poenosus, non sit sufficienter compensativus aut placativus, tamen, propter suam excellentiam intrinsecam, ita potest esse meritorius ut praemiari rationabiliter debeat condonatione offensae etiam non compensatae : v. gr. actus charitatis perfectae, qui potest elici absque magna poena.

Vicaria satisfactio a) non est assumptio debiti vel culpae unius ab altero, ita ut vel unus puniatur pro altero, vel ex satisfactione aliena delinquens ipse dispensetur conversione sua ad Deum personali ; — b) sed est *toleratio* alicujus mali *voluntarie suscepta*, sive ut redintegretur honor divinus ab alio laesus, sive ut placetur Dei aversio erga alium, sive ut mereatur condonatio peccati alieni. Ut sit *possibilis*, requiritur inter peccantem et satisfacientem *aliqua* saltem *moralis unio voluntatum*. Ut sit *efficax*, requiritur *acceptatio substitutionis* ab offenso, acceptatio nempe ut propter hujusmodi unionem alius pro alio sibi satisfaciat.

3° *In quo sensu intelligenda sit Christi satisfactio pro nobis.*

(cf. Rivière : *La Rédemption* : *Introduction* et ch. I ; *Les conceptions catholiques du dogme de la Rédemption in Rev. prat. d'Apologét. oct.-nov.* 1911 et 1 *janvier* 1912 ; Prat. *La théol. de S. Paul, t.* II, *l.* IV, *cp.* II.)

a) Non hoc sensu quod passus sit ipse poenas peccatis nostris debitas. — **b)** Non hoc sensu quod passus sit certam mali poenam quam Deus statuisset conditionem nostrae reparationis. — **c)** Non hoc sensu quod sola mors Christi contulerit ad satisfactionem praestandam *(cf.* Franzelin p. 486) : ipsa nostrae naturae assumptio est jam aliqua nostri sanatio, ut libenter considerabant antiqui Patres. — **d)** Sed hoc sensu quod suis actibus, obedientiae praesertim obedientiaeque usque ad mortem, *tantum Deo praestitit obsequium ut ei offenso satisfecerit* pro nobis aut potius *nos ipsi in eo*, propter

naturalem et moralem *solidaritatem* Deo satisfecerimus, per modum restitutionis sane sed praesertim *per modum placationis.*

Advertendum praeterea est Dei placationem posse distingui negativam et positivam. *Negativa*, quatenus Deus placatus se haberet quasi negative erga hominem, hoc est deponeret suam animi aversionem et offensionem, quin restitueret positiva dona gratiae sanctificantis et consequentia. *Positiva*, quatenus, semota aversione, restitueretur simul pristina amicitia et gratia. De facto haec duo connectuntur, non ita necessario tamen ut Deus, ne de potentia quidem absoluta, non potuisset condonare peccatum quin restitueret gratiam. Hinc est cur, ad pleniorem redemptionis considerationem, agendum sit primo de satisfactione erga Deum offensum, postea vero de merito erga gratiam et dona recuperanda.

SECUNDA PARS : Vindicatur doctrina catholica.

1° **Exponuntur objectiones** *(Cf.* Rivière : *La Rédemption*, ch. II ; Hugueny : *La Rédemption* in *Rev. des sciences phil. et theol.* 1911 p. 299 sqq.)

Objectiones rationis contra hanc doctrinam reduci possunt ad haec duo : A) Satisfactio praestanda Deo in ordine ad condonationem obtinendam supponit Deum vindicativum, quasi non sit ipse impassibilis sed a malo morali laedatur et ex eo vindictam prosequatur. — B) Satisfactio vicaria est immoralis, quatenus, innocente poenas peccati luente, reus innocens declaratur.

2° **Solvuntur objectiones :**

A) *Haec doctrina non inducit Deum passibilem aut vindicativum.*

a) Quoad *impassibilitatem.* Passiva, quae dici posset, Dei impassibilitas sarta tecta manet, siquidem dicimus eum non detrimentum ullum pati ex denegata sibi, vel in aeternum a damnatis, ea gloria extrinseca quae consistit in amore super omnia appretiativo. Activa vero impassibilitas, quae scilicet faceret Deum non urgere contra peccatorem consequentiam naturalem peccati nec probare reparationem ordinis laesi, quam procurare conatur is qui se deprimit ut depressum ordinem restituat, haec, inquam, impassibilitas non decet Deum, imo repugnat in eo. — Quo sane non intenditur dicere Deum non posse condonare peccatum quin exigat satisfactionem, sed dicimus non dedecere eum quod eam exigat, imo quod eam exigat condignam.

b) Quoad *indolem vindicativam.* Haec non apparet nec in eo quod urgeat, ut tutor ordinis moralis, poenam peccati ; nec in eo quod approbet vel exigat sibi satisfieri de offensa personali, nam, hoc faciendo, non delectatur malo qua tali quod satisfaciens patitur, quasi malum illius compenset suum malum, sed delectatur tum bono quod procurabit sanctio legis, tum bono quod est sua gloria accidentalis resultans ex satisfactione seu agnitione suae excellentiae. Haec enim violentia, quam sibi satisfaciens infert ex motivo reparandae offensae, est sane professio praeexcellentiae Dei quam Deus non potest non probare.

Haec doctrina proinde non supponit Deum delectatum nescio quo sensu vindictae, nec Deum adeo infirmum et suae auctoritatis incertum ut in

tuto nequeat esse ejus auctoritas aut dignitas nisi poenas inferat ; supponit simpliciter a) homines adeo labiles ut intra fines legis moralis contineri nequeant nisi sanctione legis ; b) Deum, qui sit summum bonum finisque omnium ultimus, non posse non improbrare omnem aversionem a summo bono, non probare tum poenam quam haec aversio naturaliter secum trahit, tum bonitatem omnis actus quo quis, ad profitendam excellentiam summi boni, condemnat nimium boni creati amorem, quod est peccatum.

B) *Satisfactio vicaria non habet quidquam immorale,* dummodo rite intelligatur. Substitutione enim non transfertur culpabilitas unius ad alterum, non luitur ab innocente poena peccati, qua poena est, siquidem malum toleratum non infertur nolenti nec est ex debito ; nec deletur culpa rei absque illius personali conversione ad Deum : redemptio enim a Christo facta non est nisi in actu primo ; pro applicatione in actu secundo,requiritur subjectiva activitas redemptorum. Ex acceptata substitutione tantummodo aliquis innocens *se offert* ad compensandum honorem divinum, ad restaurandum, quantum potest, ordinem rerum, ad placandum Deum, ad lucrandam reo, si velit,benevolentiam Dei. In quo nihil est quod Deus non possit probare ; nihil quod satisfacienti imponatur invito : ipse acceptat libere. Imo, ex accepto hoc munere satisfaciens nobilitatur quam maxime et glorificatur, quippe quod ipse sit sanctissimus, Deo gratissimus, et jus habens ad obedientiam et gratitudinem redemptorum omnium.

3° **Exponuntur et solvuntur difficultates theologicae** ortae ex ipsa Redemptionis oeconomia, qualem Ecclesia admittit. Redemptioni ergo per satisfactionem Deo a Christo praestitam non obstat : — a) Quod dicamur *justificari gratis* (W. 462, s) : licet, respective ad Christum, nostra justificatio gratuita non sit, est gratuita respective ad nos, quibus gratuito Deus et dedit reparatorem, et applicat ejus satisfactionem. — b) Quod debeamus *ipsi satisfacere :* oportet, non ut addamus aliquid satisfactioni Christi, sed ut eam nobis applicemus per actus qui non habent ipsi valorem nisi ex ea. — c) Quod Christus sit *innocens* (W. 464 ; *q.* 47, *a.* 3 *ad* 1) : non potest innocens puniri ; sed potest ejus satisfactio acceptari pro satisfatione a reo debita, si praesertim huic sit proxime conjunctus, et libere eam offerat. — d) Quod Christus non *satis distinctus videatur ab offenso* : adest sufficiens distinctio ex distinctione duarum naturarum, ex qua duplex habetur classis jurium, duae voluntates quarum una alteri subordinatur, duplex, moraliter loquendo, persona. — Cf. FRANZELIN p. 533 ; STENTRUP : *Soteriol.* p. 223 sqq.

THESIS XXXV. — Christum homines, Deo satisfaciendo, redemisse veritas est revelata.

Praenotanda. 1° **Errores.** Redemptionem per satisfactionem Christi vicariam negaverunt — a) *Pelagiani :* deficiente ipso redemptionis objecto, Christus nobis solum profuisset, viam salutis doctrina et exemplis osten-

dendo ; — b) *Manichaei* et *Ariani*, ipsam Incarnationem negantes ; — c) *Abaelardus :* Christus moriens nos tantum exemplo ad poenitentiam provocasset, atque divinam pro nobis misericordiam impetrasset ; — d) *Socinianí :* Christus, purus ceterum homo, nobis tantum doctrina, exemplo, intercessione, fuisset utilis ; Deus vero omnino gratis condonaret (P. 417); — e) *Rationalistae* et cum iis *Protestantes* liberales, qui, nomen redemptionis servando, hoc omni sensu proprio vacuaverunt : vel Socinianis consentiunt, dicentes, cum Ritschl, ideo X^tum^ nos salvasse, q. verbo et exemplo manifestavit Deum ut patrem, et amorem poenitentiamque provocavit, vel admittunt, cum Reuss, substitutionem solum idealem, logicam, symbolicam, nullatenus autem realem et juridicam.—Iidem vero negant in doctrina ipsius Christi inclusam fuisse redemptionem, quam Paulus, ex Pharisaeorum praejudiciis in Christianam religionem invexisset (cf. D.B. 2038). Imo multi asserere non dubitant redemptionem cum satisfactione fuisse ipsi Paulo et Ecclesiae primitivae prorsus ignotam, sed ab Athanasio et ab Augustino fuisse aliquatenus insinuatam, ab Anselmo tandem et scholasticis fuisse distincte et complete propositam. Patres siquidem non docuissent nisi deificationem nostram per Inc. ; vel, q^do^ memorant mortem X^ti^, eam censerent esse pretium diabolo solutum. Anselmus vero et theol. medii aevi ideam satisfactionis vicariae mutuati essent ex jure germanico. — f) Inter theologos catholicos : *Hermes* contendit Christum venisse tantum ut vita sua et morte enormitatem peccati manifestaret, ejusque terrorem incuteret ; — *Günther*, ut obedientia sua aequilibrium morale restitueret, quod Adam inobedientia turbaverat (P.419) ; — nec defuerunt, ante paucos annos, qui putare viderentur licere sibi de satisfactione Christi vicaria disputare sicut de opinione scholastica jamjam antiquata. (Sic Schell et post eum R. D. Mignot : cf. *Questions actuelles* t. LXII. p. 362).

2° **De modo procedendi.** Cum doctrina catholica non neget vim exemplarem et doctrinalem vitae atque mortis Redemptoris, admittat praeterea Incarnationem jam seipsa esse aliquam naturae nostrae restaurationem, non ita ascribat reconciliationem nostram Christi satisfactioni ac meritis ut eam non derivet ex gratuita Dei charitate in nos adhuc inimicos *(Rom.* V. 8. 10), ex recensitis erroribus apparet quo tendere debeat nostra demonstratio. In hoc scilicet quod constet 1° vim piacularem mortis Christi non esse doctrinam a S Paulo inductam, sed ab ipso jam Christo — imo ante Christum — propositam ; 2° conceptum satisfactionis pro nobis a Christo praestitae non esse doctorum recentiorum inventum sed includi jam in notionibus Redemptionis primitivis.

3° **Nota theseos.** Ex dictis in praecedenti thesi, quod *doctrina de Redemptione cum satisfactione sit fidei proxima* sequitur praesentem assertionem, qualis jacet, esse saltem *certam.* De valore singulorum argumentorum judicandum est ex legibus exegeseos. Advertendum tantum est condemnatam esse a decreto « *Lamentabili* » propositionem 38^am^ : « Doctrina de morte piaculari Christi non est evangelica, sed tantum paulina ».

Probatur :

I. « **Doctrina de morte piaculari Christi non est tantum paulina** », quia invenitur 1° apud Isaiam praedicta ; 2° ab ipso Christo in evangeliis proposita.

1° **Apud Isaïam**, ubi (LII. 13 — LIII. 12) « Servi Domini » describuntur humiliationes et passiones atque fructus earumdem felicissimus ad hominum salutem — Expositionem et exegesim textus vide apud CORLUY : *Spicil.* II, 90 ; vel KNABENBAUER in *h. l* ; praesertim apud CONDAMIN (*le livre d'Isaïe* et *art.* dans *Rev. bibl.* 1908) et LAGRANGE (recensio libri P. CONDAMIN in *Rev. bibl.* 1905 p.281 et *Le messianisme chez les Juifs* p.236-251).

a) « *Servus enim Domini* », (de quo praeterea XLII. 1-4 vel 7, vel 9 ; XLIX. 1-8 ; L. 4-9) est Messias, ut constat z) ex antiquorum Judaeorum opinione (cf. CONDAMIN p. 325) ; y) ex auctoritate Novi Testamenti, v. gr. *Luc.* XXII. 37 ; *Marc.* XV. 28 : *Joan.* XII. 37 ; *Matth.* VIII. 17 ; XX. 28 ; *Act.* VIII. 28-35 ; I *Petr.* II. 22-25 ; x) ex Patrum testimonio, quotquot istud testimonium adducunt (cf. CORLUY p. 86 et CONDAMIN p. 326) ; v) ex rationibus intrinsecis : omnes enim notae quibus insignitur « Servus Domini » conveniunt *Messiae personali.* repugnant autem Messiae collectivo — populo Israel in genere vel parti jus selectae (= justis) vel Israeli ideali vel ordini sacerdotum aut prophetarum — quem aliae interpretationes fingere conantur, siquidem « *Servus Domini* » *opponitur* populo, quem Deo reducit (XLIX. 5. 6. 8), qui invitatur audire vocem ejus (L. 10), pro cujus peccatis moritur (LIII. 8-9), cujus reliquias salvandas habet (XLIX. 6).

Obj. etiam populum vocari « servum Domini », v. gr. XLI. 8 ; XLII. 19 ; XLIII. 10. — **Resp.** z) hoc non fit in toto poemate LII. 13 — LIII. 12 nec in sequenti cujus est praeambulum ; y) etsi loca, in quibus etiam populus vocatur servus Domini, essent verus contextus locorum nostrorum, tamen, ex dictis, impossibile est haec nostra loca intelligi de servo collectivo ; x) tandem probabile est hunc non esse verum ac primaevum contextum, sed per meram scriptorum perturbationem juxtapositam esse utramque dictorum seriem.

b) « *Messias ille est Christus* », ut constat z) ex impossibilitate assignandi quemquam alium cui conveniant notae assignatae, ut fatentur omnes ; y) ex mira concordantia quae invenitur inter Isaïae descriptionem et narrationes evangelicas. (Cf. CONDAMIN, p. 341-342).

Obj. a) « Servus Domini » non describitur qualis solebat describi rex messianicus — **Resp.** z) non erat possibile, ubi describendae erant ejus humiliationes et passiones ; y) non desunt omnino similitudines : cf. v. gr. XI initio et LV. 3-4 ; cf. KNABENBAUER, t.II, p. 328 et CONDAMIN, p. 343-344).

b) passiones « Servi Domini » describuntur ut praeteritae, non ut futurae. — **Resp.** Ita fieri solet apud prophetas. *Cf.* etiam indicium futuri in LIII 10b.

c) liberatio promissa consequenter ad « Servi Domini » expiationem est mere terrena et politica. — **Resp.** z) Ita fieri solet in omnibus prophetiis ; y) non desunt indicia effectus spiritualis : tolletur iniquitas de medio populi ; servus justus justificat. (Cf. PELT. *Hist. de l'Anc. Test.*, t. II, p. 239-248 ; CONDAMIN, p. 344) ; x) hinc et ex praejudiciis judaïcis explicatur tum quod antiqui rabbini, etsi « Servum Domini » in genere intelligebant de

Messia, tamen non ipsi applicare audebant LII-LIII, tum quod ipsi Apostoli adeo repugnaverint admittere Christum esse passurum. (Cf. P. LAGRANGE, *op. cit.*, p. 242 *sqq.*).

2° **Ab ipso Christo in evangeliis.**

A) **Synopticis** *(Cf.* LEPIN : *Jésus, Messie et Fils de Dieu, cp.* III. § 3).

a) *Missionem* suam profitetur esse *Salvatoris,* ut constat tum ex assertionibus ejus explicitis *(Luc.* IX. 56 ; XIX. 10), tum ex ipso nomine quod propterea est ipsi a Deo inditum *(Matth.* I. 21 ; *Act.* IV. 12).

b) *Peccatum* significat esse *malum a quo vult salvare,* dum dicit se venisse ad peccatores salvandos *(Luc.* V. 32 et XV. 1-10).

c) *missionem suam* dicit *complecti mortem,* quam et acceptat, et annuntiat initio quidem subobscure in dicto de sponso auferendo *(Marc.* II. 19-20 et parall.), in dicto de « signo Jonae » a filio hominis dando generationi incredulae *(Matth.* XII. 40 *cf.* tamen parall.) ; postea vero clare, v. gr. z) post confessionem Petri *(Marc.* VIII. 31-32 et parall. et *n. b.* hoc inseri narrationi de non abhorrenda cruce ita ut excludatur insertio ex industria facta) — y) post transfigurationem, ubi jubet de ea non loqui « nisi cum F. Hom. a mortuis resurrexerit » *(Marc.* IX. 9 et parall.) — x) aliis occasionibus : praetergrediendo Galilaeam *(Marc.* IX. 30-32) ; ascendendo Jerosolymam *(Marc.* X. 32-34) ; respondendo filiis Zebedaei *(Marc.* X. 45) ; in parabola de vinicolis « filii » homicidis *(Marc.* XII. 1-10).

d) Eam *mortem* dicit fuisse *a Deo praeordinatam* et sibi acceptam *(Luc.* XXVIII. 31 ; *Matth.* XXVI. 54 ; *Luc.* XXIV. 25-27 ; 44-46).

e) Eam *mortem* dicit fore λύτρον *pro multis (Marc.*X.45 et *Matth.* XX. 28) : quae vox erat adeo technica ad designandum pretium quod solvebatur pro redimendis a servitute servis, ut nulla sit ratio dubitandi eam potuisse adhiberi ab ipso Christo.

f) Corporis sui *cruxifixionem* et sanguinis effusionem dicit esse *pro multis* — in institutione eucharistiae, apud omnes relationes — imo *(Matth.* XXVI. 28) « in remissionem peccatorum », quae, cum dicat facere servos *(Luc.* XVI. 13) nec posse remitti nisi ab ipso Deo, eo ipso constat efficacitatem mortis ejus fore in hoc quod peccatum, ejus intuitu, remittatur ab ipso Deo.

Ex quibus omnibus sic potes **argumentum facere** ad probandum Redemptionem a Christo edoctam non tantum simpliciter sed *cum satisfactione vicaria :* Qui mortem a Deo praeordinatam libere accipit, cujus intuitu dicit Deum remissurum esse hominibus peccata, is satisfacit Deo et hominibus, satisfactione vicaria, salutem meretur. Atquit ita ex dictis Christus. Ergo Christus satisfacit Deo et salutem hominibus, satisfactione vicaria, meretur.

B) **S. Joannis.** Eadem ibi Christus docet : Deus dedit Filium ut salvetur mundus per ipsum (III. 15 sqq.) ; oportet ut ipse exaltetur sicut serpens aeneus (14) ; ipse dat libenter vitam secundum voluntatem Patris (X. 17 ; XII. 27 ; XIV. 31 ; XVIII. 11) ; se sanctificat (immolat) ut nos sanctificemur (XVII. 19) ; per mortem suam omnia trahet ad se (XII. 32).

II. **Conceptus satisfactionis pro nobis a Christo praestitae invenitur in primaevis redemptionis notionibus :**

1° **Apud S. Paulum.** — (De doctrina S. Pauli, cf. PRAT. locis indicatis in indice sub voce : *l'œuvre de la Rédemption*, t. II. p. 551 et ex professo in t. II. *l.* IV).

A) *Summa doctrinae.* Dogma redemptionis fumdamentale est apud S. Paulum et potest ad haec reduci : 1° Totum genus humanum, in Adamo lapsum, divinae inimicitiae et aeternae ruinae subjacens, fuit in novo Adamo, gratuita Dei misericordia, restauratum, qui dedit nobis Filium suum ut ille repararet quod Adam perdiderat, peccatum expiaret, nosque ipsi reconciliaret *(Rom.* 5, 10-21 ; 2 *Cor.* 5, 18-21 ; *Col.* 1, 20-21 ; *Eph.* 1, 7-10 ; 2, 1-7). — 2° Licet reparatio hujusmodi toti vitae Christi passim tribuatur, in morte crucis, seu potius in obedientia qua mortem crucis passus est, reponenda est : *(Rom.* 5, 10 ; *Col.* 1, 20, 22 ; 2, 14) ; Christus vero, secundum voluntatem Patris, se voluntarie obtulit : *(Rom.* 15, 3 ; 2 *Cor.* 8, 9 ; *Phil.* 2, 6-12) ; mortuus est pro nobis, pro peccatis nostris, ut nos Deo reconciliaret : (1. *Thess.* 5, 10 ; 2. *Cor.* 5, 15 ; *Rom.* 5, 6-10 ; *Eph.* 5, 2.25 ; *Gal.* 1, 4 ; 2, 20 ; 1. *Cor.* 15, 3). — 3° Christus igitur est nostram redemptio (1 *Cor.* 1-30 ; *Col.* 1, 14), per sanguinem suum *(Eph.* 1, 17) ; se dedit redemptionem pro omnibus (1 *Tim.* 2, 6), ut nos redimeret a peccato *(Tit.* 2, 14) ; nos emit pretio magno (1 *Cor.* 6, 20 ; 7, 23). — 4° Non tamen applicari nobis potest haec redemptio, sine cooperatione nostra, sine fide vivente : *(Rom.* 3, 25 ; *Col.* 1, 23 ; 2 *Cor.* 5, 14-15... etc.).

B) *In specie* docet redemptionem factam esse *cum satisfactione Deo praestita,* quia docet Christum nos redemisse, *pretio soluto.* Sua enim morte, nos fecit ex inimicis et filiis irae reconciliatos et amicos Dei *(Rom.* V. 8-10) et hoc fecit, non tantum docendo exemplo obedientiam deberi Deo etiam usque ad mortem, sed etiam quatenus mors ejus fuit seipsa causa justificationis (ibid. et *Col.* I. 14) ; quatenus morte sua nos sibi acquisivit (I *Cor.* VI. 20 ; VII. 23) ; quatenus ipse propositus est ἱλαστήριον *(Rom.* III. 25) ἀντίλυτρον (I *Tim.*11) ; et Deus, mortis ejus intuitu, nos transtulit ex potestate tenebrarum in regnum ejus *(Col.* I. 14).

C) Haec omnia *compendiose* proponuntur in aliquot locis, ex quibus efformantur varia ad idem argumenta.

a) II *Cor.* V. 14-15. 21 (cf. PRAT. t. II. p. 291-295) : qui, ex sua nobiscum solidaritate, factus est « *peccatum* » — « *maledictum* » *Gal.* III. 13 — et mortuus est, ita ut nos, eo ipso mortui, « justitia » fieremus, is nos morte sua redemit. Atqui ita Christus etc.

b) *Rom.* III. 25-26, ubi dicitur redemptionem ideo factam esse in sanguine Christi ut manifestaretur justitia Dei in peccatum seu ut ostenderetur Deus non reconciliari nisi salva sua justitia (cf. PRAT. t. I. p. 279-289 ; t. II. p. 270).

Unde in forma : Qui reconciliationem suam ideo connectit cum instrumento propitiationis in sanguine ut manifestetur justus, is ex illo instrumen-

to accipit compensationem seu satisfactionem sibi debitam. Atqui ita Deus. Ergo.

c) *Rom.* V. 17-19, ubi inobedientiae Adami, ut causae omnium condemnationis, opponitur obedientia Christi, ut causa omnium justificationis.

Unde in forma : qui, sua obedientia, avertit ab hominibus condemnationem et iram inobedientia inductam, is reconciliat, placando offensum seu ei satisfaciendo. Etc.

d) *Hebr.* V. 1-8 — cf. *Eph.* V. 2 —, ubi Christus dicitur suo sacrificio sacerdotali et obedientiali factus esse omnibus causa salutis aeternae.

Unde in forma : Qui sacrificio obedientiali facit Deum ex irato ita propritium ut ex hoc sacrificio sit salus omnibus, is suo sacrificio seu obedientia sua satisfacit Deo. Atqui ita Christus.

D) *Demonstratur ea doctrina non esse ab ipso S. Paulo inducta.*

a) **ex ejus affirmatione** (I *Cor.* XV 3-4), quod doctrina de Christo « mortuo pro peccatis nostris » pertineat ad primitivum evangelium, quod et ipse accepit.

b) **ex momento quod ab initio** — in primis suis epistolis — tribuit doctrinae illi : jam I *Thess.* V. 10. « Non posuit nos Deus in iram sed in acquisitionem salutis per D. J. C., qui mortuus est pro nobis (περὶ ἡμῶν) » — Ergo salus est per Christum et per Christum morientem. — Ad *Gal.* III. 1 commemorat crucifixionem Christi fuisse adeo vivide praedicatam ut mirum sit eos vim ejus evacuare, et non impugnat doctrinam Judaïzantium nisi ex ejus consequentia quod, si per legem justitia, ergo frustra Christus mortuus esset (II. 21 ; V. 11 ; VI. 14) : adeo certa erat omnibus efficacitas mortis Christi in ordine ad justificationem. — In I *Cor.* I. 17. 18. 23 ; II. 2, totus est in inculcando praedicationem evangelii vertere totam in cruce Christi, quae sit Judaeis scandalum, eis autem qui credant Dei virtus et sapientia.

c) ex **indiciis** quae in *Act. Ap.* inveniuntur Christum ab initio praedicatum esse ut salutis auctorem — quin insistatur tamen in ejus morte : v. gr. per Christum est remissio peccatorum : (II. 38 ; III. 19-26 ; XL. 3 ; XIII. 38-39 ; XXVI. 18-20) ; Christus est Salvator (V. 31 ; IV. 12) ; mors Christi consideratur ut a Deo, intuitu illius muneris, praeordinata (II. 23 ; III. 18 ; IV. 28 ; XIII, 27 ; XXVI. 23).

d) ex **verbis Christi** relatis in evangeliis (cf. supra).

e) ex **doctrina** quam in suis scriptis proponunt **alii apostoli,** v. gr. S. Petrus. Redemptio facta est per sanguinem Christi (1 *Petr.* 1, 18-19), qui passus est pro nobis et peccata nostra ipse pertulit in corpore super lignum, cujus livore sanati sumus (2, 21-24, *Cf.* 1, 2) ; qui pro peccatis nostris mortuus est (3, 18) ; qui emit nos estque Salvator noster (2 *Petr.* 2, 1 et 20).

S. Joannes ostendit sacrificium expiatorium et propitiatorium Christi, qui sanguine suo redemit nos, lavit nos a peccatis nostris, est propitiatio pro nobis, peccata nostra tollit, opera diaboli dissolvit (*Apoc.* 1, 5-6 ; 5, 6. 9-10 ; 7, 14 ; 22, 14 ; 1 *Jo.* 2, 2 ; 3, 5. 8-16 ; 4, 9-10 ; *Jo.* 1, 29 ; 11, 51-52).

2° Apud SS. Patres.

Praenotanda : Propter dogmatum historicos, qui contendunt apud antiquos non esse indicia Redemptionis, nisi, ut dicunt, **a**) vel *mysticae* seu *physicae*, quatenus sanata fuisset humanae naturae infirmitas sola illius a Verbo assumptione soloque illius in carne conversationis exemplo ; **b**) vel *mythicae*, id est, cum pretio *soluto diabolo* aut cum debellatione delusi diaboli ; **c**) nondum proinde esse excogitatam satisfactionem vicariam — propterea, inquam, scopus hujus demonstrationis debet esse ostendere hujusmodi asserta carere fundamento, saltem prout sunt exclusiva. Nam, quoad **a**): attendas hujusmodi redemptionem admitti etiam a nobis,scilicet quod Christus fecerit ad nostram restaurationem per totam vitam suam, assumptione scilicet naturae nostrae, magisterio et exemplo. Ut esset contra nos, ostendendum esset eos, qui eam Redemptionem complexivam considerabant,non fecisse vim tamen in morte et passione Christi, nec eos habuisse ex controversia cur complexum potius considerarent.—Quoad **b**): attendas quam pauci hoc modo loquantur ; et cum ita loquuntur non totum ad id reducunt (Cf. Rivière : *Le dogme de la Rédemption* p. II et V, qui tamen nimis tribuit vocibus ipsis ; imo quoad S. Irenaeum certe errat : cf. duos *art. La rédemption et les droits du démon dans saint Irénée*, et *Les droits du démon et la mort du Christ*, in *Recherches de science relig.janvier* 1911 et juillet 1912). Imo non pauca hujusmodi dicta ad rectum sensum facile reducuntur : adhibuerunt scilicet figuram, qua dramatice liberationem nostram ab imperio daemonis describerent. Et sane, daemon est tyrannus qui nos, jure victoriae, captivos detinebat ; a quo Christus nos liberavit, non aperta vi, aut sola potentia, sed pretio soluto, permittendo ut occideretur a daemone : hic autem, usurpando quod suum non erat (nullum jus habebat in Christum), jure amisit quod sua victoria acquisiverat, quodque juste possidebat, justitia videlicet se tenente non ex parte diaboli, sed ex parte Dei, qui hanc captivitatem in poenam hominis permittebat. — Si quorum tamen dicta aliqua rectum sensum fundere nequeant, adverte opinionem hujusmodi esse illis etiam omnino secundariam et adventitiam, et afferri non veluti partem dogmatis, sed veluti aliqualem ejus explicationem, quae quidem facile occurrebat describenti liberationem hominis a doemonis captivitate per sanguinem Christi. — Sed attentius cogitanti, et rem theologice explicare volenti, liquet solutionem pretii factam esse Deo, ut ipse a captivitate daemonis homines eriperet. — Ceterum de sensu quo servi diaboli peccatores dicuntur, cf. S. Irenaeum (*adv. Haer.*, IV 41) ; de sensu catholico quo liberati sumus a servitute diaboli, cf. damnatam *prop.* Abaelardi (D. B. 371) et S. Th. (III. *q.* 48, *a.* 4 c et *ad* 2^{m} ; *q.* 49, *a.* 2).—Quoad **c**) tandem : attendas non esse necesse,ut indicium reputetur Redemptionis per vicariam satisfactionem, vocem ipsam inveniri — ut tamen invenitur apud S. Clem. Rom., epist. ad Diognetum, S. Justinum, S. Irenaeum — sed sufficere ut constet Christum dici mortuum propter

peccata aliena ; ut sua morte, ex voluntate Patris, liberaret alios a servitute peccati, diaboli, mortis.

A) *Indicantur aliqua testimonia :*

S. Clem. Rom. dicit Christum effudisse sanguinem suum pro nobis : 21, 6 ; 49, 6 ; pro salute nostra 7, 4 ; per hunc sanguinem fieri redemptionem omnium : 12, 7. — 2ª Clementis ait Christum, Deum-Hominem, passum esse pro nobis (1, 2), esse salvatorem nostrum (22, 5 ; 1, 7).

Hermas commemorat labores et dolores quibus Chr. peccata populi abluit : *Sim.* V, 6, 2-3.

S. Ignat. : Christum passum esse omnibus modis pro nobis *(Polyc.* 3, 2), pro salute nostra *(Smyrn.* 1, 2 ; 2), pro peccatis nostris (7, 1), mortuum esse pro nobis *(Rom.* 6, 1 ; *Trall.* 2, 1), sanguine suo divino vitam nobis restituisse *(Eph.* 1, 1 ; *Magn.* 9, 1) ; etc.

S. Polyc. : Pro peccatis nostris passum esse usque ad mortem (1, 2), omnia passum esse pro nobis, ut nos vivamus (8, 1 ; 9, 2). — *Martyr. Polyc. :* passum esse pro salute omnium electorum (17, 2).

Epist. Barnabae : Christum passum esse propter peccata nostra, ut nos sanctificaret (V, 1-2 ; VI, 11 ; VII, 2-5 ; XIV, 4-6).

Ad Diognet. : « Deus miserans proprium ipse Filium dedit pretium redemptionis pro nobis, sanctum pro iniquis..., in quo solo justificari poteramus. O dulcem permutationem (ἀνταλλαγῆς)... ut iniquitas multorum abscondatur in uno justo » (IX, 2-5).

S. Justinus — inter alia loca — in *Dialog.* 94-95 — ascribit Christo crucifixo a) dissolutionem potestatis diaboli, cujus opera praevaricatio Adami inducta erat ; b) liberationem a morsibus diaboli, quae sunt peccata actualia (94. M. 6. 700 B) ; c) liberationem a maledicto cui subjacebat totum genus humanum (95. M. 701 B) : quapropter Deus voluit Filium suum in se maledictum omnium ἀναδέξασθαι ; fecit eum pati ὑπὲρ τοῦ ἀνθρωπείου γενοῦς, quod ejus livore sanaretur *(ibid.* C).

S. Irenaeus, propter controversiam suam cum Gnosticis, quorum tota doctrina est de reducenda ad Deum humanitate delapsa, ostendit potius complexum illius restaurationis qui est per Incarnationem Verbi : Verbum naturam humanam ad Deum reduxit eam assumendo. Sed etiam singula momenta istius operis prae oculis habet,ita ut dicat : **a**) reparatam nostram inobedientiam per obedientiam quae fuit usque ad mortem : « Propitians pro nobis Patrem, in quem peccaveramus, et nostram inobedientiam per eam, quae in ligno fuit, obedientiam » (V. 17, 1 ; cf. III. 18, 6). « Dissolvens eam, quae ab initio facta fuerat, inobedientiam per eam quae in ligno fuit obedientiam » (et *cf.* 19, 1 ; V. 16, 3) ; **b**) et hoc propter nostram cum Christo solidaritatem et unionem : « In primo quidem Adam offendimus,non facientes ejus praeceptum ; in secundo autem Adam reconciliati sumus, obedientes facti usque ad mortem » (V. 16, 3, cf. III. 21, 10) ; **c**) ad solvendum debitum quod soli Deo habebamus : « Neque enim alteri cuidam eramus debitores, sed illi, cujus et praeceptum transgressi fueramus ab

initio (V. 17, 3) ; **d**) sic tandem, soluto pretio, homo reassumptus est ad pristinam suam cum Deo amicitiam et haereditatem ; « Summi sacerdotis operam perficiens, propitians pro hominibus Deum, et emundans leprosos, infirmos curans, et ipse moriens, uti exsiliatus homo exiret de condemnatione et reverteretur intrepide ad suam haereditatem » (IV. 8, 2).

Clemens Alex. : « Christi sanguine a corruptione redempti sumus. » (M. 8, 409) ; « Christus est sacrificium pretiosiss. et perfectum pro nobis oblatum » (9, 108) ; Mortem nostram expiavit quam nos pro peccatis debebamus (9, 628 ; *cf.* 641, 649.)

Origenes : Christus venit ut auferret peccata mundi — morte sua illa abstulit, ut sciunt omnes credentes (M. 12, 638). — Si peccatum non fuisset, Christus non esset mortuus (14, 57). — « Peccata generis humani imposuit super caput suum : ipse est enim caput corporis Ecclesiae suae » (M. 12, 408). — « Ut per hostiam sui corporis propitium hominibus faceret Deum...; secundum hoc ergo quod hostia est, profusione sanguinis propitiatio efficitur in eo quod dat remissionem praecedentium delictorum (M. 14, 946, 959)

S. Hippolytus : « Pro peccato Adae (ait Chr.ad Deum) sustinui mortem ut tibi obedirem » (*adv. Jud.* 3 : M. 10, 790). « Morte victor mortis exstitit. » (*de Chr. et antichr.* 26 (M. 10, 747) ; (cf. d'Alès: *Théol. de S. Hippol.* p. 38 et 180-181).

S. Athanasius, etsi adeo insistit in ea naturae humanae sanatione et reformatione, quae fuit per ipsam Incarnationem, ut dicatur elaborasse theoriam redemptionis, ut aiunt, physicae, tamen morti Christi agnoscit vim satisfactionis debitique solutionis, nam **a**) assumendo corpus, Verbum factum est capax mortis pro omnibus : « ἀντὶ πάντων ἱκανὸν τῷ θανάτῳ » (*De incarn. Verbi.* 9 (M. 25, 112 A) ; **b**) illud sacrificando, pro omnibus solvit debitum *:* « προσάγων ἀντίψυχον ὑπὲρ πάντων ἐπλήρου τὸ ὀφειλόμενον ἐν τῷ θανάτῳ » *(Ibid.)* ; **c**) eo pro omnibus morti tradito, soluta est,quasi omnes in ipso mortui sint,lex damnationis hominum *(ibid.* 109 C. et cf. *in Orat.* II. *cont. Arianos* 69 (M. 26, 293 A-B) et 66 (M. 26, 288 B. ubi dicit : « ἀνθ' ἡμῶν τὴν ὀφειλὴν ἀποδιδούς) ; **d**) suscepit mortem pro nobis — qui est finis ejus incarnationis — quia in se suscepit peccata et maledictum nostrum (*cont. Arianos* II *Orat.* 55 et 47 M. 26, 261 C-D 265 A et 248 A-B).

S. Greg. Nyss : *de perf. chr^ni forma* (M. 46, 261, 264) ; *De occursu Dni* (1161-1164, 1157, 1173) ; *C. Eunom.* 6 (45, 717, 749, 860, 888) ; *C. Apollinar.* (1165).

Euseb. Caesar : Substitutio poenalis ; sacrificium expiatorium : *D.E.* I. (M. 22, 88), IV, 12 (284) ; X (716-725, 768) ; etc.

S. Cyrill. hieros. : *Cat.* IV, 9, 10 (33, 465) ; XIII, 2, ss (773, ss , 813).

S. Basil. : *in ps.* 48, 3-4 (M.29, 437, ss.)

S. Greg. Naz.: *Or.* 30, 5 (M. 36, 108) ; 30, 20 (132) ; 45 (653 ss.).

S. Epiphan. : *Ancor.* 93 (M. 43, 185, ss.)

S. CHRYS. : *in* 1 *Cor. h.* 38, 3 (M. 61, 325) ; *in Gal.* 3, 3 (61, 653) ; *in Rom.* 3. 24, et alibi saepe.

TERTULL. : *Cf.* D'ALÈS, p. 199, s. — *De pudic.* 22 : « Alienam mortem sua solvit... Filius Dei. Ad hoc enim venerat ut ipse, a delicto purus et omnino sanctus, pro peccatoribus obiret ». — etc.

S. CYPRIAN. : v. de lapsis, 12 ; 17 ; de opere et elecm. 1 ; 22, — etc.

S. AMBROS. : *De Joseph*, IV, 1 (M. 14, 681) ; *in Ps.* 48, 13-15 (14, 1160, s.) ; *in Luc.* VI, 109 (15-1698) ; *de Virg.* XIX, 126 (16, 299).

S. AUGUST. : *C. Faust.* XIV, 4 (M. 42, 297) « suscepit Christus sine reatu supplicium nostrum, ut inde solveret reatum nostrum, et finiret etiam supplicium nostrum. » — *Enchir.* 27-70 (M. 40, 245-265), 108 (282. s.) Cf. PORTALIÉ. *Dict. de th.* I, 2368. *sqq.*

Ita et Patres subsequentes. — Omnes igitur dogma Redemptionis,pro data occasione, commemoraverunt tanquam aliquid ad fidem omnium pertinens. Nullus tamen de eo tractatum specialem aggressus est, nemo accuratam illius synthesim contexuit, usque ad S. ANSELM. in suo opere « *Cur Deus homo* » (M. 158, 361-430) : vide praes. I, 11 (376) : Hanc ejus doctrinam, — de qua tamen cf. RIVIÈRE. *op. cit.* p. 291 sqq. et *art.* in *Bulletin de litt. eccl.* (janvier 1910) — perfecerunt postea scholastici.

ARTICULUS II.

DE REDEMPTIONIS NECESSITATE.

THESIS XXXVI. — Redemptio per Christi satisfactionem (et meritum) in ea hypothesi necessaria fuit, quod Deus sibi perfecte satisfieri voluerit (et bona supernaturalia non restituere nisi ex merito alicujus condigno). (*cf.* D. TH. III. q. 1. a. 2 ; SUAREZ. IV, 2 ; LUGO V ; BILLOT : *thes.* II. 2, p. 28-31),

Praenotanda : 1° Potuisset Deus injuriam sibi illatam gratis omnino condonare. Sed, cum, sapientissimo consilio, ut omnia simul attributa manifestaret, noluerit ignoscere nisi propter reparationem condignam, Christi satisfactio nccessaria fuit. Idem dicas, mutatis mutandis, de restitutione bonorum sup[lium] : potuisset illa restituere gratis ; posito vero quod decreverit ea propter meritum aliquod condignum humano generi reddere, necessarium fuit meritum Christi. Sed hic non loquemur explicite nisi de satisfactione.

2° *Satisfactio* non idem est quod restitutio alicujus boni externi : non computatur ex aliqua materiali aequivalentia, sed ex personae, quae obsequio suo satisfacit, tum acceptione, tum dignitate : est *exhibitio obsequii honorifici*, quo vel ad aequalitatem vel saltem aliquo modo compensatur laesio honoris : erit condigna, si valor ejus adaequet gravitatem offensae ; secus, congrua tantum.

3° Omnes admittunt, dato ordine transmissionis peccati originalis, *non potuisse ullum hominem satisfacere pro se*, et a fortiori pro aliis, quia omnes

homines, antecedenter ad redemptionem Christi sibi applicatam, carent gratia sanctificante, sine qua non potest esse meritum.

4° At *quaestio controverti potest* alia, nempe, utrum Incarnatio fuerit ad redemptionem cum satisfactione condigna ita necessaria ut *ne ulla* quidem *pura creatura*, quamvis justa, possit condignam Deo satisfactionem praebere. In quo haec est saltem utilitas quod pensatur simul alia quaestio num nos, jam justificati, possimus per proprios actus satisfacere condigne Deo, quem olim offenderimus, seu utrum nos, gratia et meritis Christi aucti, plus an minus pro Deo possimus quam contra eum valuerimus ; imo non extranea est haec consideratio controversiae de praevalentia mali in mundo (Cf. GRIMAL : *Jésus-Christ étudié et médité* t. I. p. 308-321).

5° Jamvero, huic quaestioni thesis nostra respondet negative *cum theologis communiter*, ita ut dici possit *certa*. Attamen contradicunt tum scotistae, tum alii pauci, inter quos Cajetanus (*in* III. *q.* 1. *a.* 2, ubi « ad alteram vero objectionem » dicitur in hanc sententiam propendere ; VASQUEZ : *in* III. *Disp.* II, hoc sensu quod negat valere argumenta argumenta omnia quibus sententia communis nititur ; GRIMAL : *loc. cit.*).

Probatur. — 1° *Patres* docent Christum solum ideo potuisse condigne Deo satisfacere, quia solus Deus et homo est. Imo ex dogmate redemptionis cum satisfactione condigna ejus divinitatem inferunt (Cf. *Petav.* II. 14. n° 6 sqq.)

2° *Ratione theologica*, quia nullus actus purae creaturae potest, in ratione satisfactionis, aequivalens esse gravitati offensae Dei personalis : haec duo enim sunt *in ordinibus infinite distantibus*, hoc saltem sensu quod offensa Dei personalis, cum sit personae in ordine infinito, transcendit omnem valorem finitum seu creatum. Et revera, offensa est depressio cognita et volita personae intra gradum ei legitime competentem ad alium gradum ea indignum ; jamvero, depressionis mensura desumitur ex eminentia gradus competentis prae gradu ad quem fit depressio. Nunc autem gradum competentem personae divinae patet esse divinum ; gradus vero ad quem in omni peccato mortali deprimitur est ordo creatus, siquidem Deus a peccante ita parvi penditur ut postponatur — etsi sufficienti modo cognitus tanquam summum bonum et transcendens omne bonum creatum — suo proprio creato bono ; depressio proinde, in qua consistit offensa Dei personalis, est ab ordine divino ad ordinam creatum et infra ; ergo offensa Dei est in ordine infinito. Actum vero satisfactorium cujuslibet creaturae nimis patet esse in ordine finito. Ergo haec duo sunt in ordinibus infinite distantibus.

Idem argumentum aliter proponi potest. Ut satisfactio sit condigna, oportet *personam satisfacientem esse aequalem personae offensae* aut saltem non adesse inter eas tantam distantiam quae nulla operum excellentia exaequari nequeat. Offensa siquidem gravitas desumit ordinem ex dignitate personae offensae prae persona offendente ; satisfactio pariter, cum sit obsequium in reparationem, aestimatur ex dignitate personae obse-

quentis. Ut adesset proinde condignitas inter offensam et satisfactionem, requireretur personam satisfacientem, obsequii praestandi gratia, se tantum infra suum gradum deprimere quantum persona offensa infra suum depressa est. Jamvero evidens est creaturae depressionem, quamvis magna sit, non tantum non exaequare unquam depressionem quam persona divina passa est,sed imo inter duas istas depressiones distantiam manere semper infinitam. Haec autem, cum sit tanta, non potest compensari bonitate seu excellentia quantalibet alicujus operis creati, quippe quae sit necessario finita. Ergo impossibile est satisfactionem cujuslibet creaturae condignam esse offensae Dei personali.

Nec dicas : Attamen tanta esse potest *bonitas moralis* alicujus actus creaturae quanta fuit malitia moralis, nam alia est ratio bonitatis aut malitiae moralis, alia ratio offensae et satisfactionis, et actus proinde ordini morali quam maxime conformis atque Deo gratissimus, sicut actus v. gr. charitatis perfectae, non supplet defectum qui inest omni satisfactioni creaturarum.

Scholion : Peccati *venialis remissionem* justus meretur de condigno — saltem indirecte, scilicet merendo coelum ; dubitatur vero an etiam directe. Cf. W. 457 et P. 369.

Articulus III.

DE PERFECTIONE SATISFACTIONIS CHRISTI.

THESIS XXXVII. — Christi satisfactio fuit ex seipsa in actu primo condigna et superabundans, imo infinita.

Valor actus est ejus aptitudo ad merendum vel satisfaciendum ; alius est physicus, alius moralis. Hic potest considerari in actu primo, secundum valorem intrinsecum, vel in actu secundo, quoad ordinationem et acceptationem ad satisfaciendum. Constat Christum obtulisse et Deum acceptasse satisfactionem hanc ad reparationem peccatorum perfectam. Sed quaerimus quem valorem intrinsecum habeat.

Fuisse *condignam et superabundantem de facto*, pertinet ad *doctrinam fidei*, et Scripturae et Patres clare docent (W. 468, 1ª *pars*). Sed quaeritur an *ex sese*. *Negant* Nominales, Durandus, atque Scotistae ; a fortiori negant iidem satisfactionem hanc fuisse infinitam ; quibus concinunt Güntheriani. Ceteri theologi thesim nostram tenent ut *certam*, praesertim quoad hujus condignitatem et superabundantiam. (Cf. P. 428).

Clemens VI docet guttam modicam sanguinis Christi *suffecisse* ad Redemptionem sed *copiose* effusum esse ; et per eum Ecclesiae acquisitum esse thesaurum *infinitum* (satisfactionum et meritorum). (D.B. 550-552).

I. Condigna et superabundans : — Script. saepe affirmat — a) sanguinem Christi fuisse *pretium* Redemptionis (I *Cor.* VI. 20) ; — b) necessarium fuisse Christi sacrificium, quia cetera insufficientia (*Hebr.* X) ;

— c) in satisfactione Christi fuisse majorem efficaciam ad salvandum quam in Adami peccato ad damnandum *(Rom.* V, 15). *Cf.* P. 429, 432.

2. Patres expresse (W. 468 ; P. 430, 433).

3. *Ratio th.* — a) Satisfactio Christi fuit necessaria in hypothesi reparationis condignae. — b) Valor infinitus ex persona satisfaciente. Ergo sufficiens, imo superabundans, quia proprie infinita...

II. **Infinita.** — 1. Infertur ut corollarium ex. *thes.* praecedenti.

2. Satisfactio recipit valorem moralem a persona satisfaciente, ut probatur sive a posteriori, in humanis et in supernaturalibus, sive a priori, quia, sicut in offensa deprimitur dignitas offensi, ita in satisfactione ei subjicitur dignitas reparantis. — Imo magis perfecte *dignitas satisfacientis* influit in valorem reparationis quam dignitas offensi in gravitatem offensae : in offensa enim, dignitas personae influit per modum objecti et formae extrinsecae, secundum gradum quo est ab offensore cognita ; in reparatione vero, per modum principii et formae intrinsecae, tota prout est, infinite. Quare, offensa secundum quid infinita reparatur per satisfactionem infinitam simpliciter.

Etiam *a re oblata* repeti posset infinitus valor satisfactionis ; sed haec non est ratio diversa ab infinitate offerentis, qui satisfaciendo offert seipsum.

Ad difficultates, v. W. 473-477. Haec speciatim advertenda : — 1° Nostra cooperatio est necessaria, non ut addat aliquid valori satisfactionis Christi, sed ut ipsam nobis applicet : a) ne detur homini licentia male vivendi ; b) ut capiti membra conformentur et cooperentur ; c) ut satisfactio nostra glorificet satisfactionem Christi, unde valorem suum mutuat. Cf. Trid. (D. B. 810 ; 905). — 2° Singuli actus Christi erant infiniti valoris ; quare non plus est valoris in omnibus quam in uno. Deus tamen non acceptavit et Christus non obtulit in satisfactionem nisi totam simul vitam, et quidem per mortem crucis consummandam : eo fine, ut magis innotesceret caritas divina, peccati gravitas, gratiae pretium ; nobisque praestaretur exemplum perfectius, et efficacius incitamentum. Cf. Suar. IV, 4.

Scholion. — Quaeritur num satisfactio haec fuerit *ex justitia stricta.* Aliquam quidem intervenire justitiam, quatenus Deo redditur suum, omnes consentiunt. Sed eam esse strictam negant Lugo, Vasquez, Molina, et alii multi ; affirmant vero alii cum Thomistis, Suarez, etc. Cf. P. 440.

Juxta priorem sententiam, non adsunt conditiones omnes ad justitiam requisitae : quod satisfactio fiat 1° ad alterum, 2° ex propriis, 3° alio titulo indebitis, 4° ad aequalitatem, ita ut 5° debeat a Deo acceptari ex contractu, interposita promissione.

Juxta alteram sententiam, contra, adsunt omnes illae conditiones : satisfactio fit 1° ad alterum (suppositum virtualiter duplex, quia jura distincta : ut potest Christus obedire, ita satisfacere) ; 2° ex propriis X^ti (habet dominium in proprios actus perfectum, quia Persona divina) ; 3° ex alias indebitis titulo justitiae ; 4° ad aequalitatem ; imo superabundantiam; 5° Deus debet acceptare, interposita promissione, ex quasi contractu, qui erat Christo homini onerosus. *Cf.* Suar. IV, 5, 6 ; P. 442-451.

Articulus IV.

DE UNIVERSALITATE SATISFACTIONIS CHRISTI.

THESIS XXXVIII. — Christus mortuus est pro omnibus hominibus, ne uno quidem excepto, ita ut pro omnibus quoad sufficientiam satisfecerit, et gratias ad salutem vere sufficientes meruerit.

Negaverunt Praedestinatiani, Calvinistae, Jansenistae. — Mortuum esse Christum non pro solis praedestinatis est de fide ; pro omnibus saltem adultis, proximum fidei ; pro omnibus etiam infantibus qui de facto non salvantur, certum. — Haec thesis hic vix indicatur quia alibi tractatur.

1. *Scriptura* docet eum pro omnibus oblatum esse a Patre, se obtulisse ipsum ut pretium redemptionis ; pro omnibus, maxime fidelibus, non pro horum tantum peccatis, sed pro totius mundi ; pro iis etiam qui pereunt ; pro omnibus qui in Adam mortui sunt.

2. *Concilia* : Carisiac. contra Praedestinatian. — Trid. contra Protest (D. B. 794-795). — Summi Pontifices Innoc. X, Alex VII, Clemens XI. (D. B. 1096).

3. *Patres* (W. 481) : *v. g.* ut sol communis est omnibus, ita Christi redemptio ; si quis fenestras claudat... ; ut Adam omnes perdidit, ita.... ; etc. Cf. Petav. XIII, 1-14.

4. Ratio th. — Secus, periret fundamentum spei christianae.

Corollarium. Etiam pro iis mortuus est qui ejus adventum praecesserant. Nos tamen copiosiorem fructum ex hac morte percipimus.

Articulus V.

DE MERITO CHRISTI.

THESIS XXXIX. — Christus 1) meruit 2) actibus viatoris liberis, 3) nobis quidem gratias omnes supernaturales, sibi autem corporis gloriam et nominis exaltationem. (D. Th. III. *q.* 19 *a.* 3 et 4 ; P. 452 ; Platel 342).

I. **Existentia meriti**. — Meritum est opus bonum praemio dignum. Iisdem actibus quibus Christus satisfecit, iisdem meruit ; nam, satisfaciendo pro peccatis, meruit ut redderentur nobis gratia et omnia bona ordinis supernaturalis : quod *de fide* est *(Concil.* Trid. D. B. 799) ; imo pro seipso aliquatenus meruit.

Et sane, omnes adsunt conditiones ad meritum requisitae : Actus boni, liberi, proportionati praemio, et a Deo ad praemium acceptati.

Meruit autem de condigno, superabundanter, infinite, ut jam de satisfactione dictum est.

II. **Causa immediata meriti** : Omnes actiones Christi *viatoris* liberae, ab ipsa conceptione *(Hebr.* X, 5 ; — 3, *q.* 34, a. 2. 3) ad finem vitae, sine ulla intermissione : quia Christus usum rationis habebat independentem a phantasia, et nullo sensuum impedimento interruptum. Attamen in actu secundo actiones acceptabantur a Deo in ordine ad praemium integrum omnes simul et ut consummatae per mortem. — Quaenam vero essent illae actiones liberae, alii aliter exponunt, secundum ea quae diximus in *th.* XXIX.

Post mortem vero jam non meruit *(Hebr.* II, 9 ; IX, 12 ; X, 11). Nec obstat quod dicunt Patres, baptismum et Eucharistiam, ipsamque Eccle-

siam fluxisse de latere Christi transverberato ; id enim intelligendum est, vel repraesentative solum, vel, si meritorie, hoc vulnus dicendum est meritorium denominative (vel objective) ex acceptatione Christi ante mortem. Cf. Lugo. *d.* 27. n. 50.

III. **Terminus meriti** : quid quibus meruit. 1° **Nobis,** scilicet toti generi humano, saltem post Adami peccatum, gratiam omnem et omnia dona supernaturalia : *Eph.* I, 3-10 ; *Rom.* I-XI ; etc. — Trid. (D. B. 790, 797, 799, 809, 820). Immerito quidam dubitant an meruerit nobis etiam dispositiones quibus praeparamur ad primam gratiam : Trid. (D. B. 797) ; 2 *Tim.* I, 9. Cf. Becan. *c.* XIV, *q.* 10. *n.* 4. *sqq.*, Platel 357.

2° **Sibi** : gloriam corporis, nominis exaltationem et alia bona extrinseca quae accepit post passionem suam : *Jo.* XVII, 4, 5 ; *Phil.* II, 8, 9 ; *Apoc.* V, 12 ; *Lc.* XXIV, 26 ; *Hebr.* 2, 9 ; etc.

Non vero unionem hypostaticam (W. 354-356 ; P. 408), nec etiam probabilius, gratiam et gloriam animae, quae erant ab initio debitae.

3° **Angelis,** secundum sententiam magis communem, non meruit gratiam et gloriam ; Scriptura enim et Patres hoc tacent, etiam quando postulabat occasio ut dicerent, si verum esset (P. 466 ; Stentr. 326). Illis tantum contulit quasdam gratias accidentales, ut aliquam novam illuminationem et gaudia accidentalia, praesertim reparando in regno coelesti effectum peccati malorum Angelorum, homines ipsis reconciliando, ipsis committendo munera quaedam nobilissima, etc.

4° *De* **primorum parentum** *gratia* ante peccatum, similis viget controversia. Sententia communior tenet illam gratiam non fuisse *gratiam Christi* : quia documenta revelationis, ad factum quod attinet, docent Christum venisse ad reparationem peccati Adami, et non docent venisse etiam ad merendam primam illam elevationem ad ordinem supernaturalem. — At vero, admitti potest et Angelos et protoparentes accepisse gratiam Dei in gloriam Christi *(thes.* III, 2ª pars).

Scholion. Haeresis est Origeniana, satisfactionem et meritum Xti etiam pro daemonibus oblata esse. (P. 468 sed *cf.* Prat. *Origène*, p. LIV).

Caput Secundum :

DE MUNERIBUS CHRISTI REDEMPTORIS.

Munus Christi generale munus est Mediatoris, Redemptoris, Salvatoris. Sed hoc ipsum plura alia in se includit : primo enim, cum hoc munere immediate conjungitur aut potius identificatur munus sacerdotis ; cum praeterea debeat nos docere veram religionem, quae est via salutis, in eaque nos regere et gubernare, munera debet exercere Doctoris seu prophetae et Regis.

Haec ergo triplex potestas et triplex munus implicite significatur ipso

nomine Jesu, magis explicite nomine Christi : ungebantur enim sacerdotes *(Lev.* I, ss.), prophetae et reges (3 *Reg.* XIX, 16). Christus autem unctus est gratia unionis et gratia sanctificante, et gratia gratis data.

Articulus I.

DE SACERDOTIO CHRISTI.

THESIS XL. — 1) Christus est sacerdos praestantissimus, qui tunc praecipue functus est munere sacerdotali, cum 2) in ara crucis seipsum sacrificium obtulit (*q.* 22 ; P. 528 ; Fr. 514 ; Hurter, *th.* 168, 169 ; Monsabré, XLII conf. ; praesertim Prat : *Théol. de St Paul*, t. I p. 526-537 et t. II p. 266-275).

I. **Sacerdotium Christi** — Sacerdos est mediator inter Deum et populum, offerens Deo ea quae sunt populi, praecipue sacrificium et orationes, et vicissim ea quae Dei sunt deferens ad homines, scilicet divina mysteria legemque divinam. Praecipuum tamen officium est sacrificium offerre *(Hebr.* V, 1). — Christus excellentissime sacerdotalem potestatem habuit, et sacerdotale munus exercuit. Thesis est *de fide.*

1° *Scriptura.* V. T. praedixit sacerdotium Christi, *Ps.* 109, 4 ; de eo enim (*Mt.* XXII, 43, ss.) dicitur : « Juravit Dominus... tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, », i. e. habens sacerdotium multo praestantius levitico. Melchisedech enim (cf. *Gen.* XIV, 18, et *Hebr.* VII), typus Christi, erat rex justitiae, rex pacis, cujus nec initium vitae nec finis indicatur in Scriptura, ut sic aeternitatem Christi portenderet ; major fuit Abrahamo, cui benedixit, a quo decimas accepit ; major proinde Levi et filiis ejus, qui tunc in lumbis Abrahami continebantur. Ergo Christus, cujus Melchisedech erat typus, est sacerdos verus, summus, aeternus.

In N. T. S. Paulus (*Hebr.* V-X) expresse demonstrat sacerdotii Christi veritatem et praestantiam : 1° Eum saepe affirmat esse sacerdotem magnum, aeternum, pontificem confessionis nostrae, undique perfectum ; 2° praesertim ostendit quanto ejus sacerdotium aaronico praestet : — a) sacerdotii dignitate et duratione (VII, 1-25), efficacia (VII, 19, 25), modo investiturae (VII, 20 ; cf. V. 1, ss.) ; — b) Sacerdotis sanctitate (VII, 26) et dignitate (VII, 28 ; VIII, 1, 2) ; — c) testamenti, seu oeconomiae (VIII, 6-13) et templi (IX, 1-11) superioritate ; — d) hostiae et sacrificii dignitate (IX, 12-24), unitate (IX, 25 — X, 14), effectu (ibid et IX, 14).

2° *Traditio.* - Patres docent Christum hominem fuisse sacerdotem, ratione humanitatis in persona divina subsistentis (P. 534 ; cf. 536). — Quod et docet C. Ephes. (D. B. 122). *cf. conc.* Trid. (D. B. 938).

3° *Ratio theol.* Christus perfectissime habet quaecumque sacerdotis definitio postulat..., omniaque sacerdotis officia adimplet : 1° praecipuum officium implevit, offerendo se cruentum sacrificium in ara crucis, et propterea incruentum in missa, tum semel obtulit per seipsum, tum quotidie offert per ministros suos usque ad finem mundi (*cf.* Trid. D. B. 938) ; 2° administrat per eosdem varia sacramenta ; 3° tandem oravit (*v. g.* in

oratione post coenam (*Jo.* XVII), et pergit interpellare pro nobis apud Deum, ipse per se; orat etiam per eosdem ministros; cultumque perpetuum Deo reddit pro hominibus et cum hominibus, adoratione et gratiarum actione.

Quaestio hic oritur utrum in coelo proprie oret, an solum interpellet sola praesentia ante Patrem, et manifestatione suae voluntatis, quin proprie postulet. Alii aliter, sed dissensus non est nisi in modo loquendi. *Cf.* Lugo, *d.* 27, *n.* 61-63; Fr. 546.; Suarez: *disp.* 45 s. 2 et 3.

Corollar. 1° Christus est sacerdos *in aeternum*, tum aeternitate relativa, non habens successorem, et offerens sacrificium incruentum usque ad finem mundi; tum aeternitate absoluta, ratione dignitatis, effectuum unius sacrificii, aliquarum functionum secundariarum (reddere grates, adorare); sed non ratione functionis praecipuae, quae est actu sacrificare.

2° *Secundum ordinem Melchisedech*, quia habet illud sacerdotium perfectum quod figuravit M.: nomine, officio, sacerdotii perpetuitate et universalitate, sacrificio oblato.

3° Est sacerdos sec. *naturam humanam*, quae consecrata est gratia unionis. Sacerdotium enim arguit subditionem erga Deum in offerente — ergo non est sacerdos sec. nat. divinam —; sed nat. humana non habuit dignitatem sacerdotalem supereminentem nisi quatenus subsistens in persona Verbi. Praestantissimus ergo est in ratione consecrationis sacerdotalis, quae in eo est substantialis et transcendens. — Ergo sacerdotium accepit in ipsa Incarnatione, ita ut B. V. M. fuerit sanctuarium in quo facta est haec consecratio sacerdotalis.

II. **Sacrificium crucis** (P. 538; Hurt. *th.* 169). — Praecipuum sacerdotis munus est sacrificium offerre, ut constat sive sensu gentium, sive oeconomia V. T., sive doctrina S. Pauli (*Hebr.* V. 1).

Sacrificium est **oblatio rei sensibilis, per aliquam ejus destructionem,** Deo legitime facta, ad significandam agnitionem supremae majestatis ejus dominiique absoluti in vitam et mortem, atque nostrae absolutae dependentiae. (Cf. Hurter 641; Fr. 525; P. 539). Distingue sacrificii materiam et formam. Forma non est ipsa occisio seu destructio materialis, sed visibilis directio hujus occisionis seu destructionis, dum fit vel a sacerdote vel ejus nutu, in honorem et cultum Dei; seu, est ipsa immolatio, prout aliquo modo a sacerdote procedit, eam offerente in cultum Dei. *Cf.* Fr. p. 534.

Mortem Christi verum fuisse sacrificium, negabant Sociniani, eam habentes ut meram praeparationem sacrificii, quod Christus obtulisset in caelo die ascensionis, ipsa sua apparitione coram Patre, et oblatione mortis. — Sed *thesis est de fide.*

1° **Ex Scriptura.** — a) Ex sacrificiis typicis V.T., de quibus mors Christi appellatur: *Is.* LIII. 7: « Sicut agnus ad occisionem... »; *Eph.* V, 2: « Tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam »; 1 *Cor.* V, 7: « Pascha nostrum immolatus est Christus », etc. Cf. H. n. 640; Fr. p. 514, — c) Ex epist. ad *Hebr.* praes. VIII-X, ubi sacrificium Christi in cruce extollitur supra sacrificia V. T. Vide praes. IX, 11, ss; X, 5-14.

2. **Ex traditione.** — a) Patres: Fr. 515; P. 544. — b) Concil. Ephes. (D. B. 122); Trid. (D. B. 938, 950, 951).

3. **Ex Ratione.** Mors Christi in cruce omnia habet quae sacrificio proprie dicto essentialia sunt: adest materia, ejus immolatio et oblatio legitima a

sacerdote, in honorem Dei. Nec obstat quod Christus non a seipso sed a tortoribus fuerit occisus ; ut diximus superius, non ipsa occisio materialis est forma sacrificii, sed visibilis directio hujus occisionis ad cultum Dei per sacerdotem legitime facta : Christus ipse sese occidendum tortoribus libere dimisit, et hanc occisionem in honorem Dei obtulit. P. 545-548 et D. Th. III. q. 47. a. 1 ; q. 48. a. 3 ad 3^{m}.

4° **Refutatur error Socinianorum :** dicunt mortem Christi non esse verum sacrificium, sed oblationem sui,quam Christus in coelum ingressus fecit Deo, esse solum ejus sacrificium, quod probant a) ex eo quod, teste *Hebr.* V., non factus est sacerdos Christus nisi in die, ubi dixit ei Pater : Filius meus es tu, quae fuit, ex *Act.* XIII. 33, dies ipsa resurrectionis, — b) ex comparatione quam S. Paulus facit sacerdotis Christi cum pontifice Hebraeorum, qui dicitur non obtulisse sanguinem sacrificii Deo nisi postquam ingressus, post velum, intra Sancta Sanctorum : proindeque pariter Christus non obtulerit sacrificium nisi post ingressum coelum.

Sed haec non valent, nam : a) quoad *Hebr.* V. cum *Act.* XIII. 33, admisso Christum factum esse sacerdotem cum Filius Dei, S. Paulus non dicit hoc fuisse in die resurrectionis.— b)Comparatio inter sacrif. Pontificis et sacrif. Christi a S.Paulo instituta versatur, non circa circumstantias rituales, sed circa fructum sacrificii, quatenus unum, quia non erat in aeternum sanctificans, iterari debebat, dum alterum, semel oblatum, non indiget repeti. At ipsum sacrif., sicut offerebatur, ita pariter effectum suum operabatur ante ingressum Pontificis. In specie vero, sacrificium Christi dicitur a S. Paulo explicite fuisse oblatum et sufficiens in ipsa morte : per proprium enim sanguinem oblatum introivit, et post inventam jam redemptionem (IX. 12) ; sacrif. oblatum semel in consummatione seculorum sufficit et haec est causa cur Christus non debeat suum sacrif. iterare (IX. 26-28) ; oblatio corporis Christi facta semel nos vivificavit (X. 10 et 14) ; oblatio facta est antequam sederet (X 12 : attende vocem graecam μίαν προσενέγκας θυσίαν) ; nunc ergo representat id quod olim obtulit. Oblatio proinde sacrificii essentialis adfuit jam in ipsa morte ; dici potest eadem perseverare nunc in coelo quasi ejus prolongatio, ita ut idem permaneat sacrificium.

Scholion. Non admitti potest opinio quorumdam,qui censent Christum offerre etiamnum in coelo sacrificium proprie dictum, praesentando Patri opera et mortem suam : pervertit enim notionem sacrificii ; male interpretatur *Hebr.* IX, 24, 7 (P. 549 et Prat. t. I. p. 587).

Articulus II.

DE CHRISTI MUNERE PROPHETICO, SEU MAGISTERIO.

THESIS XLI. — Christus a Deo constitutus est Propheta seu Legatus suus et Doctor seu Magister noster, omnium praestantissimus. (P. 551 ; Stentr. IV. 672).

Propheta est legatus divinus, a Deo missus ad docendum populum et cultum divinum promovendum, seu restaurandum, quique ideo facultate insignitur futura praedicendi vel etiam miracula patrandi. Thesis est *de fide.*

In V. T. praedicitur ut propheta et doctor gentium. *Deut.* XVIII, 15, 12 ; Cf. *Jo.* I, 45 ; *Act.* III, 22, ss.; *Is.* LXI, 1 ; *Cf. Lc.* IV, 21 ; *Is.* XLII, 6, 7 ; XLIX, 5, 6 ; LV. 4, etc.

In N. T. ipse magistrum se et prophetam a Deo missum profitetur, unum magistrum nostrum, ad hoc natum ut testimonium perhibeat veritati ; viam, veritatem et vitam... — Antonomastice *Magister* vocatur ab omnibus, maxime a discipulis. — Docet quasi potestatem habens *(Mc.* I, 22 ; *Lc.* IV, 32 ; *Jo.* VII, 46). Exercet supremam magisterii potestatem, omnes obligando ut doctrinam suam amplectantur et profiteantur, et delegando Apostolis eorumque successoribus magisterium suum *Mt.* XXVIII, 12 ; *Mc.* XVI, 15 ; *Jo.* III, 18, 19 ; *Gal.* II, 16 ; 2 *Cor.* X, 5 ; etc.

Ratio. — a) Potestas docendi omnes creaturas intellectuales ad Christum pertinet, tum propter dignitatem et indolem Personae, quae est Sapientia incarnata, tum ex munere adimplendo sacerdotis, supremi pastoris, salvatoris, regis, uno verbo, Capitis. — b) Eum esse summum prophetam et doctorem constat, tum de jure, ex iisdem rationibus, propter quas praestat dignitate : auctoritate, scientia et ingenio ; tum de facto, ex doctrinae sublimitate, perspicuitate, sanctitate, dicendi libertate, zelo, prudentia ; miraculorum splendore et numero ; praeterea potestate interius illuminandi mentes et movendi corda ; vitae tandem Sanctissimae auctoritate et exemplis, nam Christus *non verbo* tantum *sed etiam exemplo* nos docuit, qui « coepit facere et docere » ; ita ut vita ipsius lex sit et norma ad quam humana vita dirigenda est : *Jo.* XIII, 15 ; VIII, 12; XIV, 6 ; *Rom.* VIII, 9, 10, 29 ; XIII, 14 ; *Gal.* III, 27 ; IV, 19 ; II, 20 ; *Phil.* II, 5 ; 1. *Petr.* II, 21 ; etc.

Articulus III.

DE CHRISTI MUNERE REGIO.

THESIS XLII. — Christus homo 1) **rex est modo excellentissimo** 2) **in ordine spirituali ; sed** 3) **habet etiam in actu primo supremam potestatem in omnia temporalia.**

Rex est princeps populi, suprema potestate pollens regendi subditos, legislativa, judiciaria, coactiva. Duplex ordo, temporalis et spiritualis vel religiosus, ex fine distinctus.

I. **Christus homo Rex est modo excellentissimo.**

N. B. **de sensu theseos.** Christus, ut homo — non tantum specificative, ut patet — sed etiam reduplicative formaliter, id est, voluntas ejus humana, potestate gaudet regendi homines, non sane ut causa principalis, nam etiam in hoc non est nisi causa instrumentalis animata et libertate donata, sed ut donata omnipotentia qua uti possit ad statuendos legislatores, judices, tutores et conservatores legum suarum, ita ut potestas legislativa, judiciaria et coercitiva Ecclesiae non sit nisi derivatio potestatis regalis Christi in populum suum. Et limites illius potestatis sunt necessitas et utilitas illius populi Christi qui commissus est curae apostolorum. — Attamen auctores non semper distinguunt, loquendo vel probando, ea quae conveniunt Christo ratione divinitatis vel humanitatis in statu unionis.

1° *Scriptura.* — a) **V. T.** praedicit : *Ps.* 2 ; *Ps.* 44 ; *Ps.* 109 (Stentr. 784-787) ; *Is.* IX, 6 ; *Dan.* VII, 13 (Stentr. 784-790).

b) In **N. T.** nuntiat Angelus *(Lc.* I, 32, 33) ; testantur et Christus ipse tum verbis, tum factis *(Jo.* XVIII, 37 ; *Mt.* 28, 18), et Paulus (1 Cor. XV,

25, ss.; *Hebr.* I, 2; *Eph.* I, 21, ss.), et Joannes (*Apoc.* I, 5; XVII, 14; XIX, 16).

2° *Ratio theol.* — a) Rex est universi generis humani, tum 1° jure nativo constitutus haeres universorum, tum 2° jure acquisito per redemptionem; accedit 3° multorum devotio voluntaria. Cf. Leo XIII, *encycl. de hominibus SS.Cordi Jesu devovendis*, 25 *Maii* 1899. — b) Rex omnium excellentissimus, sive considerentur regis ipsius attributa : sapientia, bonitas, potentia, divitiae...; sive regni amplitudo, duratio, finis et nobilitas.

II. **Rex Spiritualis.** *Cf.* Stentr. p. 796; P. 566.

1. *Scriptura.* — a) Ex **V. T.** vaticiniis, regnum Christi ordinatur ad constituendum regnum Dei in genere humano; — bona ejus propria sunt Dei cognitio, timor et amor, liberatio a peccatis, etc.; — propagandum est, non vi et armis, sed interna cordium illuminatione et conversione ad Deum.

b) In **N. T.**, Christus ipse coram Pilato (*Joan.* XVIII. 36) affirmat regnum suum esse spirituale, quin sane excludat materialia necessaria ad illius connaturalem conservationem et propagationem. — **N. B.** tamen regnum illud Christi non esse praecise *regnum Dei,* nec regnum Dei evangelicum esse proprie Ecclesiam. Hic enim expedit distinguere sensum proprie evangelicum sensumque derivatum. **A**) *Sensu evangelico,* regnum Dei est *jus et exercitium juris Dei in homines,* ita ut ille regnum Dei ingrediatur, regnum Dei suscipiat, regnum Dei, cum bonis omnimodis quae secum fert, possideat, qui auctoritatem Dei in se agnoscit atque ei se totum tradit et conformat. Et,in hoc sensu,munus est Redemptoris instaurare regnum Dei in toto orbe. Et, in eodem sensu, regnum Christi est ejus auctoritas in eodem ordine, ad eumdem scopum, seu in homines in ordine ad eumdem scopum. Et, per delegationem a Christo, Ecclesia habet eamdem auctoritatem. — **B**) *Sensu derivato,* homines, in quos exercetur illa Dei et Christi auctoritas et quomodo vult eam exerceri, dici possunt et dici soliti sunt constituere regnum Dei. Quo in sensu, *Ecclesia* etiam *solet* dici *regnum Dei,* non tantum, ut volunt protestantes, qua est collectio eorum qui eam Dei et Christi agnoscunt auctoritatem, sed etiam qua est *medium* a Deo et Christo institutum quo illa auctoritas foveatur et exerceatur.

III. **Rex temporalis,** in actu primo, seu quoad jus, non vero in actu secundo, quoad juris usum.

1° **Potestatem indirectam** in ipsa temporalia *omnes admittunt,* et tam late se extendentem quam istorum ad spiritualia utilitas vel ordinatio.

2° Potestatem vero **directam** in temporalia Christum non habuisse *in actu secundo,* id est, non usum esse potestate regendi temporalia omnes pariter admittunt.

3° Utrum vero **directam** *in actu primo* — non titulo sane humano — sed titulo unionis hypostaticae, controvertitur. (*Cf.* Pesch. n. 568).

a) *Affirmant* Molina (*de just.* t. I, *tr.* II *d.* 28); Suarez (*Disp.* XLVIII

s. 2) ; Lugo (XXX. 4) et probant z) Scriptura suadente, quatenus Christo « data est omnis potestas », Christus est « Rex regum, dominus dominantium » ; y) ratione theologica, quia Filius Dei, etiam ut homo, videtur dominus omnium, ut particeps potestatis Patris ; neque haec dignitas vana fuit, quia erat ipsi debita, et occasio fuit majoris gloriae, cum illam parvi fecerit. — Nec inde sequitur reges jam fieri vel usurpatores potestatis Christi, vel ejusdem vicarios, sed tantum eos pergere uti jure suo proprio cum permissione Christi, qui nolebat hujusmodi potestatem sibi vindicare.

Idem dicendum videtur de dominio proprietatis, ex iisdem rationibus.

b) *Negant* Bellarminus (*De Sum. Pont. l.* V. *cp.* 4 et 5 ; *Recognit. in h. l.* n° 39) ; Cajetanus et alii, quos videas ap. Pesch. 568.

At forte quaestio non est nisi de verbis. Nam z) Bellarminus et omnes admittunt Christo competere, titulo unionis hypostaticae, potestatem universalem similem illi quam habet ipse Deus et omni purae creaturae incommunicabilem. Sed haec, ut patet, non est potestas Christi hominis nisi specificative sumpti, quatenus est Filius Dei naturalis, et de hoc non potest esse ulla controversia — y) Admittit praeterea Bellarminus, locis citatis, Christum hominem potuisse, ex illa universali potestate, « si voluisset et si sibi expedire visum fuisset, accipere regiam auctoritatem ; tamen noluisse et proinde nec accepisse nec habuisse, non solum executionem dominii et regni, sed nec auctoritatem et potestatem regni ullius temporalis ». Jamvero Suarez non videtur defendere regnum temporale nisi in sensu illius ejusdem universalis potestatis, quam Bellarminus negat posse dici regnum temporale.

c) *Magis placet modus loquendi* — aut sentiendi — Bellarmini, tum quia melius, ut videtur, distinguit quaestionem, tum quia, ex alibi dictis, omnipotentia non competit humanitati Christi nisi pro quanto expediebat fini Incarnationis. Hujusmodi enim potestas temporalis, quam de facto Christus significavit saltem se nolle exercere (*Joan.* XVIII 3. 6 ; *Luc.* XII. 14), inutilis fuisset, cum ad finem Incarnationis sufficiat potestas in temporalia indirecta. Et sic melius intelligitur RR. PP. esse vicarios Christi ; dum econtra, in opinione affirmativa,sat gratuito dicitur Christum transmisisse R. Pontifici potestatem indirectam sed non directam.

De *divisione Indiarum* ab Alexandro VI facta inter Hispanos et Lusitanos cf. *art. Alexandre* VI in *Dictionn. d'Apologét.* ; Pastor : *Hist. des papes, tr. fr. t.* VI. p. 149-152 ; Bellarmin : *De Rom. Pont. l.* V. *cp.* II *in fine.*

DE BEATA VIRGINE MARIA.

PROOEMIUM.

Cf. SUAREZ, *de Myst. vitae Christi (Argument. ad lectorem, et praefat.)*

1. *Tractatus indoles.* — Post cognitionem Dei et Christi, nulla est alia nec utilior, nec jucundior quam intima cognitio B. V. Mariae ; quare specialem tractatum sibi postulat,quo id assequendum, ut pietas et devotio erga SS. Virginem accurata veritate fulciatur, dum veritas pietatis dulcedine conditur : « est enim, sine veritate, pietas imbecilla, et, sine pietate, veritas sterilis et jejuna ».

2. *Fontes doctrinae.* — 1° Scriptura Sacra : In V. T. non infrequens est de B. V. mentio prophetica vel aperta vel figurata ; in N. T. paucis verbis omnia quae de ea dici possunt aut cogitari implicite continentur. — 2° Traditio apostolica, Ecclesiae communi sensu recepta, priscorum Patrum scriptis consignata, a Conciliis etiam, pro opportunitate, definita ; nihil enim, post mysteria Trinitatis et Incarnationis,majori cura expositum est ac defensum quam divina Maternitas, Virginitas, et alia privilegia B. Mariae V. Vide potissimum Concilia 3, 4, 5, 6 etc. — 3° Ipsa ratio dogma revelatum pie scrutans ut intellectum ejus intimiorem et pleniorem assequatur ; consequenter, etiam auctoritas theologorum.

Patrum testimonia multa et ampla invenies in « *Summa aurea de laudibus B. M. V.* », a t. 5 p. 539 ad t. 7 incl. Inter alios theologos, commendari merentur : 1° SUAREZ,*Mysteria vitae Christi,disp.*I-XXIII ; 2° B.PETRUS CANISIUS, *de S. V. Maria Deipara (lib. 2us commentarior. de Verbi Dei corruptelis)* ; 3° DE RHODES, *de Deipara V. M.;* 4° PETAV. V. 14-19 ; XIV, 1-9 ; 5° TH. RAYNAUD, *Diptycha mariana.* — Inter recentiores : PETITALOT, *La Vierge Mère d'après la théologie* ; praes. TERRIEN, *La Mère de Dieu ;* etc.; NEWMANN : *Du culte de la Ste Vierge dans l'Egl. cath.;* NEUBERT : *Marie dans l'Egl. anténicéenne.*

3. *Divisio.* B. V. M. consideranda est tum in seipsa, tum relative ad nos, seu ut est Mater Dei, et Mater nostra ; quae duo, inter se intime conjuncta, totam ejus perfectionem totumque munus integrant.

PARS PRIOR.

DE B. V. MARIA IN SE SPECTATA.

Agendum 1° de divina ejus Maternitate, unde cetera derivantur ; 2° de ejus aeterna praedestinatione et temporali praeparatione ; 3° de summa ejus perfectione in statu viae, praesertim quoad sanctitatem ; 4° tandem de ejus coelesti gloria.

Caput Primum :

DE MATERNITATE DIVINA.

THESIS XLIII. — 1) B. V. M. vere et proprie est Mater Dei ; — 2) quo quidem privilegio et nomine compendium continetur et tessera totius doctrinae catholicae de Incarnatione Filii Dei, — 3) simulque culmen summum et prima radix totius excellentiae et perfectionis B. V. Mariae.

I. **Probatur dogma divinae Maternitatis.**

Hoc saltem implicite negaverunt quotquot circa Incarnationem erraverunt, sive de humanitate, sive de Divinitate, sive de unione aut distinctione utriusque naturae ; sed praecipue et explicite Nestorius.

1° *Scriptura* : V. T. praedixerat, subobscure ab initio *(Gen.* III), clarius postea, v. g. *Is.* VII, 14 ; XI, 1 ; N. T. explicite et data opera affirmat et narrat : *Mt.* I, 18-25 ; *Lc.* I, 31, 35, 43 ; *Gal.* IV, 4.

2. Fidem hanc Christiani omnes semper professi sunt in symbolis, definivit deinde Ecclesia contra haereticos, v. g. C. Ephes. ; Chalc. ; Cp^{lnm} II ; Lateran. sub Mart. I.

Eamdem exponunt et declarant Patres inde ab aetate apostolica ; V. Franz. p. 375 ; P., n. 573 ; Petav. V, 15 ss. ; Terrien I, 6. ss.

Nomen ipsum τῆς Θεοτόκου, quod Ephesi solemniter ut verae fidei tessera sancitum est, jam antea inter christianos erat maxime usitatum :— a) Julianus apostata eis exprobrabat quod Mariam Θεοτόνον vocare non cessarent. — b) Ephesi, potuit S. Cyrill. invocare Patres anteriores hoc nomine usos ; quam eorum fidem et modum loquendi affirmaverunt ipsi Joann. Antioch. et Theodoretus, Nestorii tunc amici (M. 37, 177 ; 77, 97 et 1456 ; 83, 436). — c) Sed, quantopere corda populi christiani haec fides imbuisset ex hoc maxime manifestatum est, quod ideo praesertim haereticus detectus est et in omnium detestationem incurrit, quia Mariam vere et proprie Θεοτόκον dici vetaret ; atque incredibilis fuit populi exultatio, quando solemniter in concilio definitum est eam esse vere et proprie

Θεοτόκον. V. S. CYRILLI (M. 77, 137). *Cf.* TERRIEN I, 10, 14 et HEFELE-LECLERCQ : *Hist. des conciles, t.* II[1], p. 243 *note* 4.

3. *Ratione theol.* explicatur et confirmatur. B. V. M. concursu vere materno concepit et peperit Deum, i. e. hunc hominem Christum qui est Deus ; aliis verbis, ut vera mater, dedit Filio Dei naturam humanam : 1° vere *concepit et peperit ut mater :* materiam vitaliter praeparavit, eam suppeditavit et, cooperante Spiritu Sancto, vitaliter concurrit ad eam ita disponendam ut,secundum legem Dei naturalem,crearetur et eidem infunderetur anima humana ; dein foetum conceptum evolvit usque ad ejus perfectionem ; tandem vere et proprie peperit, licet intacta semper virginitate. Et sic, quoad substantiam maternae generationis, genuit naturaliter, et supernaturaliter quoad modum solum quo determinata est haec actio generativa (*q.* 35, *a.* 3, *ad* 1). — 2° *Concepit et peperit Personam divinam :* nam, a primo instante Verbum ita corpus et animam assumpsit, totamque naturam conceptam, ut ad ipsum terminaretur generatio : non generatur homo, qui deinde fiat Deus, sed generatur Deus ; humana quidem natura est *terminus formalis* (quo) generationis ; sed *terminus adaequatus* (qui) est ipsa persona. V. *q.* 35, *a.* 4 ; S. Jo. *Damasc. F. O.* III, 2 ; FR. 376. — Neque ad hoc necesse fuit ut gigneret Divinitatem (*q.* 35. *a.* 4, *ad* 2 ; *Compend. theol.* 222) ; aut Personam divinam ita gigneret, ut haec inciperet tunc simpliciter existere (*q.* 35, *a.* 2. *ad* 1). *Cf.* S. Jo. DAMASC. *F. O.* III, 12. — V. *diffic.* apud W. n. 173. — Cf. TERR. I, 16, ss. ; P. 674-676.

II. **Nomen** Θεοτόκου **tessera fidei.**

Praedicatio τῆς Θεοτόκου magno studio celebrata est a Patribus velut symbolum et compendium totius professionis de Dei Verbi Incarnatione. (FR. 380. *Cf.* PETAV. V, 15, n. 3 ; S. Jo. DAMASC. *F. O.* III, 12 (M. 94, 1029) ; S. GREG. NAZ. *ep.* 1 *ad Cledon* (M. 37. 177) etc. *Cf.* TERR. I, 37.

Et revera,haec una professio divinae Maternitatis,contra omnes errores qui negant sive perfectam Christi humanitatem,sive veram Verbi Divinitatem, sive unitatem personae, sive naturarum dualitatem, etc., affirmat Christum habere tum verum corpus assumptum e nostro genere, animamque rationalem, tum veram Divinitatem, tum unicam Personam, tum duas naturas ; quare profligat etiam monotheletismum, adoptianismum, etc. (Cf. TERR. I, 38-48).

Sed alia quoque dogmata tuetur : directe quidem, Trinitatem Personarum in unitate Naturae divinae, Redemptionem humani generis ; indirecte vero, per privilegia quae,ratione Maternitatis,B. Virgini collata sunt, humani generis elevationem, lapsum et reparationem ; gratiae et virtutum nobilitatem et necessitatem. Cf. TERR. 49-52... Quare omnes haereses sola interemit in universo mundo, sua sane actione et protectione, sed etiam, praecipuas, ipsa sua intrinseca perfectione suoque titulo Matris Dei. *(Cf.* TERR. 53-55 ; P. 627).

III. **Excellentia Divinae Maternitatis.**

Hanc dignitatem ineffabilem esse, et praestare cuilibet alii perfectioni

purae creaturae collatae, constabit eam considerando 1° in se, quoad esse physicum et esse morale ; 2° relative ad alias. (*V.* SUAR. I, 2 ; FR. 381 ; PETAV. XIV, 8).

1. In hoc consistit divina Maternitas quod B. V. M. Christum Deum-Hominem vere concepit, ad augmentum perduxit, genuit,lactavit, materne curavit...; ita ut caro Christi sit quasi extensio et fructus carnis B.V. Hinc oritur consanguinitas omnium proxima cum Filio Dei, et consequenter jus proprie dictum ad amorem ejus filialem ; jus minus strictum ad ejus obedientiam ; jus quoddam decentiae ad ejus bona, etc. — Hinc etiam relatio specialissima et nexus familiaritatis cum Patre et Spiritu Sancto (*V.* S. BERN. apud FR. 382 ; *cf.* TERRIEN I., 165-212).

Haec porro dignitas est in suo genere (in ratione maternitatis) *infinita :* Dignitas matris qua talis aestimanda est ex dignitate filii,quam hic possidet eo momento quo producitur. Quare, licet Deus potuerit facere Mariam magis perfectam, non potuit ei majorem dignitatem conferre: (I. *q.* 25, *a.* 6, *ad* 4 ; III. *q.* 103, *a.* 4, *ad* 2). Hinc est quod Patres asserant Virginem Deiparam nunquam posse digne laudari, in ejusque laudes certatim effundantur (SUAR. I. 2 ; TERRIEN I, 147 ; PASSAGLIA, *de Imm. Conc. n.* 56).

Propter hanc dignitatem, omnes perfectiones, praesertim gratiae et gloriae, B. Virgini collatae sunt, veluti quaedam proprietates Maternitatis; sicut enim unio hypostatica pro humanitate Christi, ita, servata proportione, divina Maternitas pro Virgine est radix et fundamentum plenitudinis gratiae et gloriae, omnisque perfectionis. Et sane : — a) Patres et Doctores, quando sanctitatem et perfectionem B. Virginis extollunt, tanquam rationem primam assignant ipsam Maternitatem, in qua ulterius includitur munus Mediatricis et Matris nostrae, et potestas Reginae coeli et terrae. — b) Et probatur illa dignitate postulari tantam perfectionem : 1° tanquam dispositionem requisitam (*q* 27, *a.* 4 ; *a.* 5 *ad* 1 ; *q.* 7, *a.* 10 ; S. Jo. DAMASC. M. 96, 684 ; S. BERN. M. 183, 61, s.) ; 2° tanquam effectum connaturalem et necessarium unionis proximae cum principio gratiae (*q.* 27, *a.* 5) et amoris mutui inter Filium et Matrem. (Cfr. Fr. 384 ; TERRIEN. I, 213-302 ; PETAV. XIV, 8 ; PASSAGLIA. *de Imm. Concept. s.* 6, *c.* 1, *a.* 1 (p. 696) ; BOSSUET, *Sermons pour la Nativ. de la S. V.*)

2. Nulla est ergo dignitas purae creaturae collata, quae huic valeat comparari ; sive consideretur sec. suum esse, sive sec. munus adimplendum, sive sec. finem attingendum. Et certe res clare patet, quantum ad dignitates quae divinam adoptionem non includunt. Sed dubium oriri potest de gratiae et gloriae dignitate (*cf.* SUAR. I, 2), cum praesertim multi Patres et ipse Dominus noster (*Luc.* XI, 27, 28 ; *Mt.* XII, 47-50) sanctitatem esse divina maternitate potiorem asserere videantur. Respondeo : si maternitas B. M.V. *inadaequate* consideretur, i. e. physice tantum et materialiter, tunc divina filiatio seu sanctitas est potior et optabilior; si vero consideretur *adaequate,* includit gratiae plenitudinem, et sic incomparabiliter melior est : « quidquid claudit alterum in se plus est eligendum quam illud quod non claudit alterum in se ; sed esse Matrem Dei per naturam, necessario clau-

dit in se esse filium Dei adoptivum » (ALBERT. M. *super Missus*, *q.* 141, n. 4). Praeterea pertinet ad ordinem altiorem, intimius unit Deo, magisque firmiter, occupat supremum perfectionis creatae gradum ; cultum superiorem obtinet...

Nihilominus non placet quod dicit P. RIPALDA (*d.* 79. *t.* 2, p. 49) : Maternitatem etiam inadaequate sumptam, sanctificare formaliter (non tantum exigitive) : est enim sententia nova, parum consona Tridentino docenti sanctificationem fieri per gratiam ut formam intrinsecam (n. 821, 799), repugnatque verbis Patrum et Domini nostri modo commemoratis. (Cf. FR. 383 ; P. *n.* 578 ; SUAR. I, 2).

Corollarium. Quidquid gratiae concessum est aliis sanctis, id invenitur, et gradu eminentiori, in B. V. ; id saltem quod ad majorem sanctitatis gradum pertinet (*q.* 27, *a.* 1 ; *a.* 6 *ad* 1 ; TERRIEN, I, 303 ; PASSAGL. n. 30 ; RAYNAUD, p. 29 ; PETAV. XIV, 8).

CAPUT SECUNDUM :

DE PRAEPARATIONE SEU PRAEEXISTENTIA B. V. M.

Tum ab aeterno in mente divina *(praedestinatio)*, tum in tempore, in oeconomia V. T^ti^ *(praenuntiatio)*.

THESIS XLIV. — B.V.M. 1) ab aeterno, singulari et excellente praedestinatione, decreta est simul cum Christo ut ad divinam Maternitatem, gratiam et gloriam eminentissimam ; 2) in tempore vero, praenuntiata est et praefigurata.

I. De praedestinatione.

1° *Hujus veritas et excellentia* (DE RHODES, p. 184 ; SUAR. I, 3). Est actus aeternus intellectus et voluntatis,quo Deus praecognoscit et decernit efficaciter Mariam condere in tempore, ac Matrem Filii sui facere, cum omnibus donis naturae, gratiae, gloriae, quae tantae dignitati sunt consentanea. — Hanc excellentiorem praed. existere probatur :

a) Ex bulla « *Ineffabilis* » : — 1° « Ineffabilis Deus..., ab initio et ante saecula, Matrem ex qua caro factus... nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae ceteris universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. » — 2° « Ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit (Ecclesia)... in sacra liturgia... ad illius Virginis primordia transferre, quae, uno eodemque decreto, cum divinae Sapientiae Incarnatione fuerant praestituta. »

b) Ex *Patribus*, qui magnificentissime hanc B. V. praedestinationem explicant atque extollunt. *(Cf.* PASSAGLIA, *sect.* 6, *c.* 1, *a* 3. (p. 721). TERR. I, 118).

c) *Ex ratione th.* : Ea prae ceteris est praedestinata, de qua Deus habuit cogitationes illustriores, amorem ardentiorem, et decretum de majoribus gratiis tribuendis ; jam, praedestinatio B. V. Mariae longe excellentior est : 1° ratione terminorum (qui fuerunt maternitas, gratiae maximae,

merita amplissima, gloria summa); 2° ratione principiorum (fuit altior idea divina, divinus amor; merita Christi plenius applicata, et, quantum ad gloriam, merita majora); 3° ratione effectuum, tum in B. V., tum etiam in nobis.

2°. *Hujus praed^nis modus et ordo.* — a) In quo signo sit facta, alii aliter, secundum diversas sententias sive de ipsa praed^ne in genere, sive de fine Incarnationis. Sed hoc in universum dici potest : B. V. M. *simul cum Filio* praedestinata est, vel in eodem signo, vel saltem in signo immediate sequente, utpote ei intime cohaerens. Cf. verba bullae modo citata. — (S. Ephr. t. 2, n. 46 : « Si Verbum non erat caro, quorsum Maria in medium producta est ? » — S. Damasc. (M. 96, 676) : « Habebis (vitam) non tibi ipsi : neque enim tui ipsius causa genita es ; quocirca hanc Deo habebis, cujus gratia in mundum prodiisti..., nimirum ut Incarnationis Verbi ac nostrae deificationis (consilium) per te impleatur. » Deus scilicet, decernendo Incarnationem, decrevit Mariam ex qua nasceretur Christus. Et ita videtur dicenda, post Filium et cum Filio, *primogenita* omnis creaturae, id est *praedilecta* (cf. Terrien *l.* I. *cp.* I).

b) Quo ordine decretae videantur variae partes hujus praed^nis : Maternitas primo, propter se, dein cetera propter ipsam scilicet gratiae, eaeque efficaces, proinde consequenter merita, et propter haec gloria. — Ita, probabiliter, in ordine intentionis. Quoad executionem, debuit B. V. mereri 1° maternitatem de congruo late dicto, acquirendo eum gradum perfectionis quem Deus ut conditionem requirebat (*q.* 2, *a.* 11, *ad* 3); 2° augmentum sanctitatis et gloriam coelestem de condigno, quoad id quod ipsi collatum est ex opere operantis.

II. De praenuntiatione in V. T^to.

S. Bern. (M. 183, 433) : « Longe ante patribus est caelitus repromissa, mysticis praefigurata miraculis, oraculis annuntiata propheticis », et (63) : « a patribus *praesignata*, a prophetis *promissa* ».

1° *Prophetiae verbales :* Ab initio, promittitur simul cum Filio : *Gen.* III, 15 ; *Is.* VII, 14 ; XI, 1 ; *Mich.* V, 3. — Adde *Jer.* XXXI, 22 ; *Ezech.* XLIV, 2 ; *Dan.* II, 34, 44 ; *Is.* XLV, 8. — Praeterea illi applicantur a Patribus et Ecclesia quae in *Cant.* dicuntur de sponsa ; item quae in *libris sapientialibus* praedicantur de Sapientia divina, praes. *Prov.* VIII, 22-36 ; *Eccli.* XXIV, 5-25 ; (*Cf.* P. de la Broise, *Etudes*, t. 79, 289 ; Suar. in praefat.)

2° *Typi* : Sicut Christus a multis viris V. T^ti praefiguratus est, ita, ut Patrum interpretatio suadet, B. V. a multis claris mulieribus : inter quas eminent — *Eva*, creata in justitia, adjutrix Adae et mater viventium ; item cooperatrix ejus (ad perditionem). (*Cf.* S. Bern. in *Breviario*, 2 noct. 24 Maii.) — *Sara*, sterilis, proinde miraculose facta mater Isaac, qui est typus Christi. — *Rebecca*, cujus Script. laudat pulchritudinem, virginitatem, benignitatem (*Gen.* XXIV, 16-25). — *Rachel*, pulchra, sterilis, mater Joseph. — *Judith*, castitate insignis, fortitudine, liberatione populi sui. — *Esther*, gratiosissima, dilectissima regis uxor, alteri rejectae succedens, a

lege mortis exempta, aliisque mediatrix salutis, etc. (*Cf.* Canisius, I, 2).

3. *Figurae reales, seu emblemata.* (Cf. Hurt. n. 579). Sancti Patres et ipsa Ecclesia a) ex Psalmis ei applicant eos textus quibus celebratur Dei civitas, tabernaculum, habitaculum, thalamus. — b) ex aliis locis quidquid splendidum, eminens, singulare, invenitur, ad eam ut figuram ejus referunt (*Cf.* bull. « *ineffabilis* » circa medium § *hunc eximium*, et S. Damasc. apud Hurt. *l. c.* ; S. Bern. (M. 183, 66 et 583) ; *hymn. matut. Imm . Concept.*: *lectiones* 3^i^ noct. Imm. Concept., et diei 12 decembr. etc. Cf. Terr. I., 20).

Caput Tertium :

DE SUMMA PERFECTIONE B. M. V. IN STATU VIAE.

« In B. V. M. debuit apparere omne illud quod fuit perfectionis ». (S. Th. IV. *dist.* 30, *q.* 2. *a.* 1. *q.* 1.) — Jam, perfectiones aliae sunt in ordine naturae, de quibus hic pauca (a. 1), aliae in ordine gratiae ; de his praesertim agendum : de sanctificatione prima, seu initiali (a.2) ; de perpetua virginitate (a. 3) ; de sanctitatis incremento et consummatione (a. 4).

Articulus I.

DE NATURALI PERFECTIONE B. M. V.

Cf. Suar. II ; de Rhodes, p. 224. — 1° De *donis omnino externis* : patria, parentibus, genealogia, bonis fortunae. — 2° De *dotibus corporis* : concepta modo ordinario, sed probabiliter ex matre naturaliter sterili ; complexionem corporis accepit perfectam, eximiamque pulchritudinem, castitatis incentivam, prout decebat Matrem Christo praeparatam. Cf. Terr. II, 112-138 ; S. Ambr. (M. 16, 319, 209) ; S. Damasc. (M. 99, 673 ; 96, 976). — 3° De *dotibus animae naturalibus* : debuerunt esse perfectae, quia Christo fuit simillima, et oportebat ut gratiae perfectio in natura aptum et proportionatum inveniret fundamentum.

De vita ejus usque ad desponsationem, v. P. 580-586.

Articulus II.

DE PRIMA SANCTIFICATIONE B. M. V.

Agendum 1° de sanctificatione negativa, 2° de positiva.

§ I. DE SANCTIFICATIONE NEGATIVA.

THESIS XLV. — B. M. V. immunis fuit a peccato originali et a fomite concupiscentiae, — atque etiam ab omni peccato veniali vel levissimo.

Praenot. — 1. De imm. Concept. et extinctione fomitis, vide *tract. de statib. nat. humanae.* Inde constat B. V. versatam esse in statu justitiae originalis, quantum ad ea quae ad perfectam sanctificationem pertinent.

2. Perfectam ejus *impeccantiam* impugnaverunt *Calvinus* et multi Protest. — *Cf.* B. Canis. I, 10 ; — inveniuntur etiam quidam *Patres* et scriptores

eccles^ci qui perperam aliquando de eadem locuti sunt ; quos vide apud Petav. XIV, 1, 3-7. *Cf.* Wirc. *de Gratia*, n. 323 ; Vasq. *D.* 120, *n.* 23-77.

3. Thesis est *proxima fidei*, ut constat ex Trid. VI, *can.* 23 (D. B. 833). Cf. bullam « *Ineffabilis* », initio. — *Propos.* 73 Baii (D. B. 1073).

Prob. — 1. Ex *Eccl^ae perpetua professione*, perfectissimam fuisse B. Virginis ab omni vel minima labe immunitatem. Vide testimonia citata ubi de Imm. Concept. — Speciatim S. Aug. *de nat. et gr. c.* 36, *n.* 42 (M. 44, 267) ; Eadmer (M. 159, 560). — S. Bern. (M. 182, 334).

2. E *Script.* — Eccl^a B. Virgini applicat *Cant.* II. 2 « Sicut lilium... » et IV, « Tota pulchra... » ; *Lc.* I, 28 implicite asseritur impeccantia. — Erui eadem potest ex perfectissimis ejus inimicitiis cum serpente *(Gen.* III, 15).

3. *Rat.* th. (3 *q.* 27. *a.* 4) : Mater Dei idonea debet esse immunis ab omni peccato : honor prolis, affinitas ad Chr., sedes Sapientiae...

Praeservabatur autem a peccato : 1° absentia fomitis, 2° abundantia gratiae internae, 3° maxime assistentia Dei externa.

Quaeritur vero utrum B. Virgini attribuenda sit etiam *impeccabilitas*, an solum *impeccantia*. Lis est praecipue de verbis. Certe non est absolute immunis a peccato *ex aliquo principio interno*, sed ex assistentia externa sibi debita consequenter ad suam elevationem ad divinam maternitatem ; verum, ex alia parte, consequenter ad hanc elevationem, non tantum non peccat, sed *neque potest peccare...* (Cf. Terr. II, 70, ss.)

Ad diff. v. Petav. XIV. 1, 8 ss. ; Wirc. *de Gr.*, n. 323 ; Mazella : *de Grat.*, n. 365.

§ II. DE SANCTIFICATIONE POSITIVA.

THESIS XLVI. — Sanctificatio prima B. V. M. cujuslibet puri hominis aut Angeli sanctificationem superavit non solum initialem, sed probabiliter etiam consummatam (3. *q.* 27. *a.* 4, 5 ; Suar. IV).

1. Gratiam B. Virginis *initialem* valde intensam fuisse, et multo magis quam cujuslibet purae creaturae gratia initialis, **probatur** : a) ex Matris munere, et ex honore Filii ejus (q. 27. a. 4 ; a. 5 ad 1) ; — b) ex propinquitate ad fontem omnis gratiae (a. 5) ; — c) ex amore summo Dei erga illam ; — d) ex effectu hujus sanctificationis primae, quae B. Virginem fecit a fomite immunem eamque in gratia confirmavit.— e) Quare Pius IX, in bulla « *ineffabilis* », initio : (Eam) « tanto prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos spiritus cunctosque Sanctos coelestium omnium charismatum copia... ita mirifice cumulavit... ut eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur... ».

2. « Pium et verosimile est, ait Suarez, credere gratiam Virginis in prima sanctificatione *intensiorem* fuisse quam suprema gratia in qua consummantur angeli et homines (singuli) : Ratio propria hujus conclusionis est ex D. Thoma hic, quia scilicet B. Virgo conjunctissima fuit Verbo...

Potest autem amplius haec ratio explicari ex Laurentio Justin. *(Serm. de Nativ. Virg.)* quia B. Virgo in instanti suae sanctificationis plus amabatur a Verbo quam ullus Angelus aut homo... Ex illo instanti amabat illam Verbum ut futuram sui matrem ». (Suar. IV, 1). — Haec *pia opinio* facta est satis *communis* inter theologes ultimorum saeculorum.

S. Alphonsus *(Serm. sur la Nativ. de la* S. V.) affirmat praeterea tanquam vere *probabile* hanc gratiam initialem B. V. superasse gratiam *consummatam omnium sanctorum et Angelorum etiam collective* sumptorum ; quod docent quoque de Rhodes, de la Colombière, et multi alii; sed *immerito*, tanquam hanc opinionem docens, affertur Suarez. Cf. Terrien, I, 384.

Corollarium. Cum gratia recepit, secundum eumdem perfectionis gradum, virtutes supernaturales infusas per se (Suar. IV, 2 ; P. 589) ; probabiliter etiam virtutes naturales infusas per accidens, ut mores ejus a primo jam instanti essent ordinatissimi, simul cum usu rationis (*ibid.* et *sect.* 7) ; utque esset Christo simillima, nec inferior protoparentibus. Habuit ex tunc donum justitiae originalis, quoad eos effectus qui ad sanctitatem pertinent, non quoad eos qui ad impassibilitatem sive corporis sive animae.

Articulus III.

DE PERPETUA B. M. VIRGINITATE.

THESIS XLVII. — B. Maria Virgo semper inviolata permansit, ante partum, in partu, post partum.

3. *q.* 28 ; Suar. *disp.* V. et VI ; W. 299-304 ; Petav. XIV, 3-7 ; Fr. 109 ; Terr. II, 142-182. — Durand S. J. : *L'enfance de J. C. d'après les év. canoniques.*

Virginitas est carnis integritas semper inviolata, cum proposito eamdem perpetuo servandi. Agimus hic praecipue de elemento materiali, integritate carnis, quae in B. V. M. excludit laesionem claustri virginalis, non tantum in concipiendo, sed etiam in pariendo ; sed probationes ostendent etiam elementum formale fuisse in illa perfectissimum.

Hanc immaculatam Virginitatem **impugnaverunt** 1° turpissime omnium, quidam *Judaei et Gentiles*, perverse detorquentes id quod *Matth.* I, 18, 19 narrat *de dubio* S. Joseph, 2° Sectae *Judaïzantes : Cerinthus*, Carpocrates, Ebionitae et, post easdem, rationalistae, dicentes Christum, utpote purum hominem, naturaliter conceptum esse ex S. Joseph et S. Maria : quare, ex his duobus primis erroribus, B. Maria amississet virginitatem ante partum ; 3° *Jovinianus*, docens amissam virginitatem in partu, cui concinunt plures protestantes ; 4° *Antidicomarianitae, Bonosus, Helvidius*, et hodie multi protestantes et rationalistae, addunt B. M. habuisse alios filios ex Joseph, post partum Christi. — *(Cf.* Petav. XIV, 593 ; *Dictionn. de th.* I, 1378-1382).

Thesis tota est *de fide* : Maria, in omni symbolo et liturgia praedicatur Virgo, semper Virgo, ἀειπαρθένος ; a Patribus et ab Ecclesia dicitur Virgo unica, omni virginitate sublimior, archetypus et exemplar virginitatis, primiceria et ductrix virginum, ipsa virginitas ; omnis blasphemia contra hanc B. Virginis gloriam statim repressa est et damnata ; haec virginitas perpetua magis explicite definita est in Concil. Lat. sub M.I. (D.B.256) et a Paulo IV, contra *Socinianos* (D. B. 993). — Sed probatur per partes.

I. **Virgo ante partum** seu **de virginali conceptione Christi** (3. *q.* 28, a. 1 ; W. 299 ; P. 594 et *Etudes* 20 mai 1907).

1. *Lc. I, 26, ss.*; *Mat. I, 18, ss.* : Maria, tempore Annuntiationis, Virgo erat, et Filium Dei virginaliter concepit, miraculo Spiritus Sancti. — Lc. III, 23 : « Jesus, ut *putabatur*, filius Joseph ».

Is. VII, 14. — a) **Sensus prophetiae** : Dum reges Syriae et Israel obsiderent Jerusalem, Isaias, ex parte Dei, promisit Achaz, regi Juda, eorum interitum et urbis liberationem, addens : « Pete tibi signum a Domino »... Regi perverse recusanti dixit : « Audite ergo, domus David : numquid parum est vobis molestos esse hominibus, quia molesti estis et Deo meo ? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum : Ecce virgo (hâ-àlmah, ἡ παρθένος) concipiet et pariet filium et vocabitur (vocabit ipsa) nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet (vel nutrietur ut ceteri infantes, vel vescetur cibis pauperum) ut sciat reprobare malum et eligere bonum ».

b) **Argumentum** : Hic agitur de B. Maria, matre Emmanuelis, qui est D. N. Jesu Chr. Atqui haec affirmatur Virgo in concipiendo et pariendo. E.-*Maj*. Filius de quo agitur, Emmanuel, ille est cujus erit terra Juda et qui hujus hostes conteret (VIII, 8, 9) ; qui plenius describitur IX, 6, 7 ; XI ; cujus tandem praeconium habetur capitibus VII-XII, quae merito vocantur Liber Emmanuelis. Atqui hic est Messias, J. C., proindeque mater Emmanuelis est B. Maria... — *Min.* Asseritur virgo in concipiendo mansisse : nam 1° dicitur *virgo* : vox ipsa *àlmah*, in Scriptura, semper designat virginem in tenera aetate, quod constat percurrendo sex aut septem loca Scripturae in quibus legitur (Fr. 114 ; Corluy, *Spicil.* I, 397 et Calès : *Recherches de science relig.* 1910, p. 161-168) ; hoc ipsum demonstrant versiones LXX, Syriaca, Arabica, paraphr. Chaldaïca ; sententia rabbinorum ante Christum ; tandem textus S. Matthaei, inter Judaeos scribentis. — 2° Dicitur *virgo concipiens* in sensu composito : quod ostendit forma loquendi : virgo concipiens ; versio S. Matthaei : « *virgo in utero habebit* » ; scopus prophetae : secus, quodnam esset illud signum tam mirabile ? (*Cf.* supra, thesim de *praenuntiata Incarnatione*).

2° *Traditio* invicte demonstrat eam fuisse *semper Ecclesiae fidem*, ut constat : a) testimonio duorum *synopticorum* qui conceptionem narrant virginalem ; — b) forte testimonio S. Pauli in *Gal.* IV. 4 (*cf.* S. Iren. *adv. Haer.* III. 22, 1 et Durand : *L'év. de l'enfance* cp. V, vel *Rev. prat. d'Apolog.* 15 X^bre 1906) ; — c) tempore S. Joannis : etsi evangelista nihil explicite dicit de hoc, tamen non adeo constat eam non contineri in I. 13, si legendum sit, ut olim multi legisse videntur : « *qui... natus est* » (*cf.* Durand, *op. cit.* p. 105-108). — d) Inde ab initio seculi secundi : Ignat. *Ephes.* VII. 2 ; XVIII. 2 ; XIX. 1 ; *Smyrn.* I. 1 ; Aristides in sua *apol.* (Durand, p. 23-24) ; Justin. *Dial.* 48 ; 68-78 ; 100 ; S. Irenaeus saepissime v. gr. *Haer.* III. 21, 10 ; 22, 4 ; *Demonst. praedicat. apostol.* 32-33 ; 38. — e) Valentiniani et illi *gnostici* qui in genere docebant *Christum mere transiisse per Mariam* (*cf. ap.* S. Iren. I. 7, 2 etc).— f) *Vetus symbolum* recolligit antiquam

fidem in suo articulo ubi dicitur Christus *natus* de Maria « *Virgine* ».

3. *Rationes* : a) ex dignitate Patris, quae non participanda a creatura ; — b) ex proprietate Filii, qui castissime concipitur seu generatur, sine mentis divinae laesione ; — c) ex santitate humanitatis Christi, quae non debebat habere debitum, etiam remotum, peccati originalis ; — d) ex fine Incarnationis, quia homines erant purificandi vita spirituali, atque ad virginitatem etiam vocandi.

Objectio, quod haec sit doctrina recens apud ethnico-christianos inducta, arguit **a**) ex *doctrina Ebionitarum*, qui, admittentes Christum esse merum hominem, dicuntur retinuisse primitivam judaeo-christianorum doctrinam ; **b**) ex *genealogiis* apud *Matth.* et *Luc.*, quae dicuntur primitus confectae ad statuendam originem davidicam Christi ; et haec esset causa cur non Mariae sed Joseph sint genealogiae. Postea vero, quando, inducta jam doctrina de conceptione virginali, genealogiae praemissae sunt evangeliis narrantibus eam conceptionem, adaptatio facta esset, dicendo Joseph non fuisse nisi sponsum Mariae et patrem putativum Jesu (*Luc.* III. 23). Quas conjecturas fulcire nituntur z) absentia sive genealogiarum sive narrationis de conceptione virginali in evangelio quo utebantur Ebionaei ; y) textu versionis syriacae in *mss.* Syro-Sinaïtico, (de quo *cf. Etudes* : *janvier* 1895 p. 119 et DURAND, *op. cit.* p. XIV et 74-76) qui sic habet in *Matth.* I. 16 : « Jacob vero genuit Josephum ; *Josephus*, cui desponsata erat Maria Virgo, *genuit Jesum*, qui appellatur Christus » ; **c**) absentia ullius indicii de conceptione virginali in evang. *S. Marci*, qui econtra (III. 21, 31), recensendo matrem Christi inter eos qui putant eum in furorem versum, indicat eam non putasse filium suum esse ex Spiritu Sancto natum. Quod cum sentirent *Matth.* et *Lucas*, qui inseruerant evangelio suo conceptionem virginalem, omiserunt dictum in vers. 21, etsi referunt versiculum 31 (*Matth.* XII. 46-50 ; *Luc.* VIII. 19-21).

Respond. 1° *Quoad Ebionitas* seu judaeo-christianos. Inter Ebionitas fuerunt etiam qui admittebant conceptionem virginalem, testibus S. JUSTINO (*Dial.* 48), S. IRENAEO (*Haeres.* I. 26, 2), ORIGENE (*cont. Cels.* V. 1 M. 11, 1277 C.), EUSEBIO (*H. E.* III. 27), S. HIERONYMO (*Ep.* CXII, 13 ; *in Is.* IX. 1), et eos probabilius est esse veros et genuinos successores judaeo-christianorum, quos Hegesippus (*ap.* EUSEB. *H. E.* IV. 22) dicit servasse puram fidei doctrinam usque ad tempora Trajani.

2° *Quoad genealogias.* a) Mirum est conceptionem virginalem excogitatam esse apud ethnico-christianos et eam non referri nisi in evangeliis quorum unum est ad judaeo-christianos, alterum eam refert in parte et in verbis quae quam maxime sapiunt judaïsmum ; b) falsum est auctorem judaïcum genealogiarum — quicumque sit — non potuisse ex eis demonstrare davidicam Christi originem nisi ascribendo eum Joseph ut patri carnali, cum, ex usu semitico, imo ex ipsa genealogia S. Matt., constet non minus valuisse apud Judaeos paternitatem legalem quam carnalem : v. gr. Joram non carnaliter genuit Ozias, nec Josias Ochoziam, nec Jechonias

Salatiel ; c) falsum est genealogias defuisse in evangelio Matthaei quo utebantur Ebionitae *(cf.* DURAND, *op. cit.*, p. 70-83).

3° *Quoad versionem syriacam.* Textus ille vocat tamen Mariam, non conjugem, sed sponsam Joseph ; narrat, sicut textus noster, tribulationem Joseph ; in *vers.* 21 et 25 insistit tantum in hoc quod Maria pariet vel peperit filium Josepho. Hinc est cur jure concludatur textum illum ex consulto voluisse inculcare paternitatem Joseph mere legalem.

4° *Quoad S. Marcum.* a) Etsi non referat Christi originem, impossibile est admittere eum nescivisse quidquam de ea vel genealogias nondum exstitisse. b) Ex eo quod vocat Christum exclusive « filium Mariae » (VI. 3) et « filium Dei » *(passim)*, nunquam autem filium Joseph, indicium esse potest eum vitasse eam appellationem quae, in Galilaea vulgata, alibi potuisset errorem injicere. c) Quoad III. 21 et 31 : non est evidens de eisdem agi in utroque loco ; et, si de eisdem agitur, non constat eos, qui vocantur ibi fratres, fuisse ejus carnales *(infra, thes. de virginit. perpetua)* ; mater ejus eo ipso quod erat cum eis non censenda necessario est dixisse et ipsa eum esse in furorem versum ; imo, vox « ἔλεγον » non constat esse « suorum » potius quam impersonalis : aiebant = on disait. *Cf. v. gr. v.* 32 ubi λέγουσιν habet hunc sensum.

II. **Virgo in partu** *(cf.* D'ALÈS : *Pour l'honneur de N. D.* in *Etudes* 20 *février* 1908 ; NEUBERT : *Op. cit.* ; PETAV. XIV. 5-7 ; S. TH. III. *q.* 28. *a.* 2).

1° Hoc dogma — quod acatholici volunt ortum habuisse tum ex docetismo in apocryphis latente, tum ex laudata apud christianos virginitate non invenitur *explicite definitum* ante S. MARTINUM I (649) (D. B. 256 et *cf.* definitionem contra Socinianos n. 993) ; sed jamdiu, saltem inde a fine seculi quarti, invenitur in explicita praedicatione Ecclesiae : *cf. v. gr.* S. EPIPHANIUS (HAERES. XXX. 20 M. 41, 440 A) ; S. AMBROSIUS *(Epist.* 42, ubi dicit eam doctrinam esse « sacerdotum » : ergo non sibi propriam. M. 16, 1123 ; *De instit. Virg.* VII. 2 ; *in Luc.* II. 75 etc , etc.). Contra Nestorium unum ex argumentis erat filium, qui, inviolata matre, natus est, esse Deum, v. gr. PROCLUS : *Orat.* I. 2 (M. 65, 684 A) ; THEODOTUS ANCYR. *Rom.* I. 1, 2 ; II. 3 (M. 77. 1349-1351 et 1372 C.) ; ISIDORUS PELUSIOTA. *Epist.* l. I, n. 404 (M. 78. 408. C.) et jam tunc incipit esse classicum nativitati etiam applicare tum *Is.* VII. 14 de virgine paritura, tum *Ezech.* XLIV. 2 : « Porta haec clausa erit. »

2° Antea, paucissimae sunt explicitae assertiones — sunt aliquorum contradictiones — sed non desunt vestigia, ex quibus conjicere licet antiquos admisisse *implicite* eamdem doctrinam.

A) **Apud orthodoxos,** praecipua indicia reducuntur ad hoc quod virginitatem Matris Christi adeo extollunt ut plenus eorum dictorum sensus non possit servari nisi admittatur fuisse virgo etiam in partu ; nam, aiunt, Christus natus est ex Virgine ; mirabile in ejus generatione est ejus nativitas a virgine : ex quo sequitur dogma virginitatis in partu esse, non ex influxu docetismi, sed ex dogmate de conceptione virginali.

a) S. IGNATIUS, qui tam clare affirmat Christum γεγενημένον ἀληθῶς ἐκ παρθένου *(Smyrn.* I. 1), dicit nativitatem (ὁ τοκετὸς Μαρίας) ejus non minus latuisse daemonem quam conceptionem ac mortem *(Ephes.* XIX. 1).

b) S. JUSTINUS *(Dial.* 100), in suo parallelismo inter Evam virginem parientem mortem et Mariam parientem vitam, supponit sua argumentatione virginitatem esse etiam in partu; — in *Dial.* 43, applicat nativitati ex virgine praedictae ab Isaia aliud dictum : Generationem ejus quis enarrabit : nam nullibi nisi in Christo accidit ut aliquis nasceretur ex virgine.

c) S. IRENAEUS *(Haeres.* IV. 33, 11) applicat ad ejus ortum ex virgine dictum quod « ejus genus sit enarrabile »: qua occasione, habet hanc plenissimam formulam: « purus pure puram aperiens vulvam, eam quae regenerat homines in Deum, quam ipse puram effecerat » (M. 7, 1080 B.). Idem, in recens inventa *Demonstr. praedic. apost.*, n. 38, dicit, si quis nolit admittere Christi nativitatem ex virgine, eum non posse facilius admittere resurrectionem ; in n. 54 applicat nativitati insperatae Filii virginis prophetiam *Isaïae* (LXVI. 7) de nativitate quae partum praecedit : « Antequam pariuriret, peperit ; antequam veniret partus ejus, peperit masculum. »

d) CLEMENS ALEXANDR. (*Strom.* VII. 16, M. 9, 529) admittit, ut in aliquo textu Scripturae fundatam, famam — in Protevangelio Jacobi traditam — quod post partum inventa est virgo.

e) S. GREG. THAUMAT. in *sermone de nat. Christi* — de cujus tamen authenticitate dubium est aliquod — explicite affirmat partum virgineum ut sequelam conceptionis virginalis (*ap.* PITRA : *Anal. sacra,* IV. p. 391-392).

B) **In opp. apocryphis** explicite affirmatur jam saltem seculo tertio virgineus partus, v.gr. in *Protevangelio Jacobi* (19-20) et in *Ascensione Isaiae* (11), quin constet inductus esse ex placitis haereticis.

3° **Objiciuntur** affirmationes v. gr. ORIGENIS (*In Luc. hom.* XIV (M. 13, 1836-1837), TERTULLIANI (*adv. Marcionem.* III. 11; IV. 21 ; *de carne Christi* 4. 5. 23) quas relatas et judicatas videas apud d'ALÈS *loc. cit.* — **N. B.**, in genere formulam biblicam « *aperire vulvam* » posse intelligi simpliciter : exire e materno sinu ; exire primum. Sicut « claudere vulvam » significat « facere infecundum », sic etiam « aperire vulvam » significat facere fecundum.

4° **Rationes convenientiae** adsunt multae. Conveniebat haec integritas — a) ei qui nascebatur, Verbo, quod in aeterna generatione virginaliter procedit ; — b) fini Incarnationis, qua tollenda nostra corruptio ; — c) Matris honori et amori talis Filii erga talem Matrem (*q.* 28, *a.* 2). — — d) Adde oeconomiam mysterii : ut eum hominem testaretur partus humanus, et Deum probaret aeterna Virginitas, ut ait S. Aug. — (*Cf.* alios Patres saepe docentes non potuisse Deum nasci nisi ex Virgine, apud TERR. II, 154, ss.).

Ita vero explicanda est haec nativitas virginalis, quod corpus divini Infantis per miraculum accepit transeunter eam subtilitatem, quam post resurrectionem possedit habitualiter, tanquam qualitatem connaturalem

Coroll. Ergo B. V. M. peperit sine dolore et cum perfecta munditia.

III. **Virgo post partum** — (*cf.* Durand : *op.cit.* p. 236 sqq.; Neubert. *op. cit.* ; Petav. XIV. 3-4 ; S. Th. III. *q.* 28. *a.* 3).

1° Haec pars, quae hoc ipso probaretur quod Mater Christi dicta est semper ἡ παρθένος, invenitur asserta jam in *symbolo* Epiphanii longiori (D. B. 13) et in formis quae dicuntur symboli antiochena atque alexandrina, ubi Christus dicitur natus ἐκ Μαρίας τῆς ἀειπαρθένου. Ceterum traditio constaret sufficienter horrore omnium contra haeresim *Antidicomarianitarum*, quam Siricius papa dicit adstruere perfidiam judaïcam (D. B. 91), quam S. Epiphanius impugnat (*Haeres* LXXXVIII). *Contra Helvidium* explicite negantem perpetuam virginitatem scripsit S. Hieronymus libellum ubi multa cum acritate totam quaestionem exhaurit (M. 23, 183 sqq.).

2° Jam inde a seculo secundo testimonia sunt explicita — quae *cf.* apud Neubert. — Memorandae imprimis affirmationes Origenis, qui dicit eos omnes qui sane cogitant admittere eam non habuisse filium praeter Jesum (*in Joan. comment.* I. 6 M. 54, 32 A) ; impugnat aliquem — Tertullianum probabiliter, de quo in *de Monog.* 8 ; *de Virg. vel.* 6 etc. *cf.* d'Alès : *La théol. de Tert.* p. 196-197 — qui admisit eam conjunctam fuisse Joseph (*In Luc. Rom.* VII. M. 13, 1818 ; *cont. Cels.* I. 47) ; explicat evangelia loqui de fratribus Jesu, non per alios filios Joseph, sed lege (*in Math.* X, 17 M. 13, 876 ; *in Joan. fragm.* 31).

3° Scriptura eamdem doctrinam implicite continet : Saepe Patres e textu *Isaiae*, perpetuam Mariae virginitatem eruunt, ideo quod dicitur simpliciter ἡ παρθένος ; ex *Luca* I, 34, probant eam promisisse Deo perpetuam Virginitatem ; eam non alios habuisse filios ostendunt ex *Jo.* XIX, 26, 27, ubi Matrem suam Christus discipulo commendat ; applicant *Ezech.* XLIV, 2 : « Porta haec clausa erit ; non aperietur, et vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa principi ».

4° **Diffic.** (*q.* 28, *a.* 3 ; W. 304. — 1. *Antequam, donec,* non necessario et ex propria vi significant id quod dicitur antea non factum esse, factum esse postea : v.g. antequam poenitentiam ageret, mortuus est ; non egit poenitentiam donec mortuus est. — 2. Primogenitus ille est ante quem nullus est genitus, etiamsi unicus postea maneat. — 3. Fratres Domini, ex modo loquendi Judaeorum, sunt tantum ejus cognati. Non sunt Filii Joseph ex praecedente matrimonio, neque filii alicujus sororis B. M. V. ; sed certe filii alicujus cognati, vel cognatae Mariae aut Joseph. Quatuor praecipui erant filii Alphaei (Cleophae) et Mariae, quae erat cognata B. Virginis. *Cf.* Durand. *op. cit.* p. 258 sqq.

Corollarium : De Virginitate B. Mariae quantum ad virtutem animi (3. *q.* 28. *a.* 4 ; Suar. VI). — B. V. M. habuit ab initio firmum propositum servandi virginitatem, cum gradum castitatis perfectissimum haberet, neque ceterum virginitas ulla lege prohiberetur. — Votum etiam addidit, quod plures Patres probant ex. Lc. I, 34 ; virginitas enim, voto Deo consecrata, est perfectior.

B. M. fuit omnium virginum purissima, quia virginitatis amantissima, ab omni impedimento exempta, praedita omni virtute quae virginitatem perficit, ordinata per hanc virginitatem ad maternitatem divinam.

Scholion. *De Matrimonio B. M. V. et de S. Joseph.*

I. **Verum fuit matrimonium** (3.*q.* 29 ; Suar. VII). *Prob.*: Script. : *Mt.* I, 16, 19 ; *Lc.* II, 5. — Patres, in haec loca. — Explicatur : habuit essen-

tiam matrimonii (mutuum consensum quo conjuges sibi tribuunt ad invicem jus in sua corpora : potuit vero ita contrahere B.V., non obstante voto Virginitatis, ex divino instinctu et revelatione ipsum sanctum Joseph virginitatem servaturum esse) ; sed non habuit operationem integram matrimonii ; habuit vero operationem partialem, eam quae consistit in prole educanda. (Cf. DURAND, *op. cit. p.* XIV. *note* 1. et *p.* 259-264.

Debuit vero B. V. contrahere matrimonium : 1° propter Christum, cujus honor servandus, genealogia consueto modo describenda, infantia tutanda et nutrienda ; — 2° propter ipsam Virginem, quae a poena et infamia praeservanda, atque Joseph ministerio protegenda et adjuvanda ; — 3° propter nos, quorum fides firmanda de nativitate Christi ex virgine per testimonium Joseph et Mariae, moresque informandi exemplo virginitatis et exemplo matrimonii. — Hinc etiam concluditur S. Joseph non fuisse senem ; ut servaretur aliqua proportio et obtinerentur fines intenti.

II. **Joseph « vir fuit Mariae, et pater, ut putabatur, Jesu Christi** : hinc omnis ejus dignitas, gratia, sanctitas, gloria profectae ». Ita LEO XIII, *encycl.* 15 Aug. 1889 : quae singula verba ponderanda. Cf. SUAR. VIII.

1° **Vir Mariae** : jam probatum est ; quare caput ejus, et caput familiae, cum ea conjunctus amore mutuo, purissimo et specialissimo... — De dubitatione S. Joseph v. P. 611. — De ejus virginitate : DURAND, *loc. mox. cit.*

2° **Pater Christi**, non naturalis quidem, sed tamen magis quam putativus, magis quam adoptivus, magis quam legalis ad normam legis leviratus. Nominatur pater Christi, non tantum ab ignorantibus mysterium, sed ab ipsa B. V. M. ; habet erga Christum amorem, sollicitudinem, auctoritatem patris ; sed praeterea est realiter pater : non mera adoptione, qua gratiose suscipitur extraneus, ad cujus nativitatem et educationem nullatenus matrimonium adoptantis ordinabatur (adoptatus nullo sensu est fructus matrimonii adoptantium) ; non fictione legali, qua ex divina lege attribuebatur ut filius aliquis qui non prodibat e suo matrimonio, ut in lege leviratus. Matrimonium vero Joseph et Mariae finem habebat nativitatem et educationem Christi : quare Joseph moraliter cooperatus est, ex divina ordinatione, ut Christus honeste et convenienter nasceretur, et physice ad educationem ejus.

S. THOMAS : 3, *q.* 28, *a.* 1. *ad* 1. « Sicut AUG. dicit (M. 34, 107), eo modo *pater Christi dicitur Joseph* quo et vir Mariae intelligitur, sine communicatione carnis, *ipsa copulatione conjugii, multo videlicet conjunctius quam si esset aliunde adoptatus* ». — IV D. 30, *q* 2, *a.* 2 *ad* 4 : « Proles non dicitur bonum matrimonii solum in quantum per matrimonium generatur, sed in quantum in matrimonio *suscipitur et educatur Hoc matrimonium fuit ad hoc ordinatum specialiter quod proles illa (Christus) susciperetur in eo et educaretur* ». Ex his intelliges quomodo S. Joseph pertineat ad ordinem hypostaticum.

3. **Hinc ejus dignitas** : V. LEO XIII, t. 3, p 274) ; maxima est, et videtur, post dignitatem S. Dei Genitricis, ceteris praestare, ratione tanti muneris cum Maria et Jesu proxime conjungentis.

4° **Sanctitas ejus** (« gratia, sanctitas, gloria ») muneri proportionata, et praecellens. Jam ante matrimonium debuit esse eximia ; sed mirabiliter crescere debuit in quotidiano commercio cum M. Virgine uxore et Jesu filio, per multos annos, saltem plus quam duodecim.

Ex his pronum est inferre potentissimum esse ejus patrocinium, et cultum nostrum illi speciali titulo deberi.

Articulus IV.

DE SANCTITATIS B. V. M. PERPETUO INCREMENTO ET SUMMA PERFECTIONE FINALI.

THESIS XLVIII. — Sanctitas B. M. V. incrementum accepit toto vitae tempore, tum ex opere operantis, merito singulorum actuum, tum ex opere operato, variis modis ; et pervenit ad immensam fere gratiae plenitudinem, qua omnium sanctorum et Angelorum etiam collective sumptorum gratiam videtur superasse (Suar. XVIII).

I. **Hujus incrementi perpetui veritas** (P. 590).

1. Sanctitas B. V. *non fuit ab initio consummata* (Suar. IV, 1) : ita omnes ; siquidem nulla erat ratio cur Maria viatrix exciperetur a lege generali ex qua « Justorum semita, quasi lux splendens,procedit et crescit usque ad perfectam diem ». (*Prov.* IV, 18). Privilegium fuit Christi hominis, propter unionem hypostaticam, ut ab initio totam sanctitatis perfectionem possideret.

2. *Incrementum* videtur incepisse a primo jam tempore conceptionis immaculatae (Suar. IV, 7, 8) : Nam : 1° videtur fruita ratione jam ex tunc : a) Joannes Baptista videtur accepisse usum rationis a primo instanti suae sanctificationis, prout Patres explicant Lc. I, 44. Ergo a fortiori B. Virgo... b) Hoc est possibile, B.V. consentaneum neque derogat privilegiis Christi qui haec omnia habuit ex jure sibi intrinseco. 2° Hoc vero supposito, jam ab illo instanti adhaesit Deo tota mente et corde, atque ita incepit mereri.

3. Saltem habuit *incrementum continuum a primo usu rationis usque ad Incarnationem* (Suar. XVIII, 1) : ita omnes. Imo, ut videtur, toto vitae tempore (licet quidam censeant sanctitatem ejus fuisse undequaque consummatam in conceptione Filii) : aderant enim omnes conditiones meriti, et consequenter augmenti sanctitatis ; Maria erat, etiam tunc, pure viatrix, et post Incarnationem perfectiori modo difficiliora et duriora fecit et passa est.

II. **Hujus perpetui incrementi modi duo :**

1. *Ex opere operantis* (Suar. XVIII, 2) : — a) Singulis actibus merebatur ; nullus actus ejus indeliberatus, omnes boni et supernaturales, relati ad Deum. mente indesinenter in eo fixa, cum maximo affectu, fortasse etiam dum dormiebat. — b) Statim vero recipiebat augmentum gratiae quod merebatur, et hoc ipsum augmentum novi augmenti causa

fiebat, atque ita porro, cum progressione geometrica. — c) Progressus hujusmodi, per actus omnes vitae activae et contemplativae, considerari potest, percurrendo tres vitae B.V. partes : 1. usque ad Filii conceptionem ; 3. ab Incarnatione ad ascensionem ; 3. usque ad mortem...

2. *Ex opere operato* (SUAR. XVIII, 3) : Sive in sacramentis quae cum eximia dispositione recepit, baptismi et Eucharistiae ; sive in multis circumstantiis et mysteriis vitae Christi et suae : Incarnatione, Nativitate, Morte, Ressurrectione ; descensu Spiritus Sancti... Imo, dum Jesus in ejus utero morabatur inclusus, dum ejus sugebat ubera, etc. etc. — (*Cf.* TERR. II, 191-248).

III. **Sanctitatis hujus perfectio finalis** (SUAR. XVIII, 4 ; TERRIEN II, 249-279).

1. *Haec sanctitas, in seipsa considerata, est fere immensa.* — a) **Patres** omnibus modis exprimunt impotentiam suam ad illam digne explicandam et laudandam : « sensus deficit, lingua fatiscit, Deus solus cognoscit » ; eam praedicant gratiae abyssum, cujus gratia immensa, stupenda gratia et exaltatio ; omnimodam plenitudinem in ea fuisse profitentur, « qua veluti ineffabile Dei miraculum, immo omnium miraculorum apex extiterit », juxta verba jam citata PII IX.

b) Idem **rationibus explicatur :** ad gratiam et sanctitatem altissimam supremus angelus per unum vel duos actus, brevissimo intervallo quo fuit viator, pervenit : quid ergo B. V. exordiens gratia initiali incomparabiliter majore, novumque gratiae cumulum saepe a divina largitate recipiens, illumque stupendum thesaurum pene infinitis numero actibus adaugens per longam vitam, iisque perfectis, et ex toto conatu et tota efficacia gratiae et caritatis elicitis ? Oportet enim attendere ad haec tria augmenti principia : 1° intensitatem gratiae jam possessae, 2° actuum fervorem, 3° eorumdem numerum, 4° in primis dignitatem personae merentis : quam grata Deo.

2. *Nunc vero, considerando relative hanc B. V.* sanctitatem finalem, « Probaliter credi potest, ait SUAREZ (XVIII, 4), B. Virginem consecutam esse plures gradus gratiae et caritatis, quam sint in omnibus sanctis hominibus et Angelis etiam collective sumptis ; itaque, si mente concipiamus ex multitudine gratiarum sanctorum omnium unam intensissimam gratiam consurgere (quod solum explicandae rei gratia dictum sit), non adaequaret intensionem gratiae Virginis ».

a) **Suadetur auctoritate** SS. Patrum, quorum multi citantur textus, ita magnifice extollentes gratiam B. Virginis supra gratiam ceterorum omnium, ut hoc ipsum sentire videantur.

b) Probatur magis directe **variis rationibus** : 1) ex dignitate Matris Dei, quae est in suo genere infinita, et gratiam proportionatam exigit... ; — 2) ex amore Dei Verbi majore erga B. Virginem Matrem suam quam erga ceteras simul creaturas ; — 3) ex similitudine et proportione quae adesse debet inter Matrem et Filium ; — 4) ex munere B. V. erga

homines omnium gratiarum distributricis ; — 5) ex ipsa magnitudine et progressione sanctitatis B. Virginis : praeter gratiarum cumulum, quae gratis omnino variis temporibus collatae sunt, attende augmentum ineffabile per actus caritatis et aliarum virtutum, qui tanto numero exstiterunt, ut fortasse cum numero sanctorum et angelorum conferri valeant ; saltem hoc certum est : unico actu, praesertim post conceptionem Salvatoris, a fortiori circa finem vitae, unico actu plus merebatur et majus augmentum sanctitatis obtinebat, quam nulli alii simul...

c) Adde auctoritatem **theologorum et sanctorum**, inde a tempore quo Suarez hanc thesim exposuit et propugnavit. Citandus praes. S. Alphonsus, sermone jam citato in Nativit. B. V. — Vide in vita Suarezii (in *edit.* Vivès, t. I, operum ejus, p. XII, s.) quomodo adductus sit ad hanc thesim propugnandam et quanta cum approbatione ipsius B. Virginis.

Scholion : *de virtutibus intellectualibus et gratiis gratis datis* (Suar. XIX, XX) :

1. **Fide ab initio infusa,** jam a primo instante probabiliter uti potuit, sine conversione ad phantasmata, et jam tunc per eam cognovit ea quae necessaria erant ad supernaturaliter agendum. Dein, in decursu vitae, fides ejus magis magisque extensa est sive revelationibus Dei, sive meditatione sacrae Scripturae. — **Infusam** accepit, praeter fidem, **scientiam theologicam,** qua distinctius cognoscuntur mysteria fidei, et veritates quae in eis continentur ; non totam ab initio, sed prout temporibus et statui ejus conveniebat. Non tamen videtur habuisse mysteriorum cognitionem evidentem. — Credibile est eam accepisse aliquam scientiam naturalem infusam, sed tantum in ordine ad pleniorem cognitionem theologicam.

Non habuit ignorantiam positivam ; neque ullum errorem, i. e. affirmationem absolutam rei falsae. In incertis, judicium suspendebat ; in probabilibus, judicabat rem ita verosimiliter aut verosimilius esse, quod sufficit ad agendum prudenter, ut, v. g., quando putavit Filium duodennem esse in comitatu. (*Cf.* Terr. II, 3-66).

2. **Gratias gratis datas** a Deo recepit, sed secundum quod pro diversis temporibus ejus dignitati et statui simul conveniebat (*q.* **27**, *a.* 5 *ad* 3, et *Cf.* Terr. II, 280-314).

Caput Quartum.

DE VITA B. M. V. GLORIOSA.

Articulus I.

DE ASSUMPTIONE.

THESIS XLIX. — **Post mortem, B. Virgo non solum secundum animam sed etiam secundum corpus in coelum assumpta est.**

Suar. XXI ; P. 613 ; Hurt. *th.* 166 ; Terr. II, 317 ; *Dict. de théol.* I, 2127 ; Renaudin : *L'Assomption de la Ste Vierge* ; Linden, S.J. *Die leibliche Aufnahme Maria im dem Himmel,* apud *Zeitschrift f. kath. Theol.* 1906 ; *art. Assomption* in *Dictionn. d'archéol. chrét.*

I. **B. Virginem obiisse,** licet quidam contradixerint, dubitaveritque S. Epiphanius ; licet pauci quidam adhuc negent, certum est : — a) ex Ecclesiae sensu et Patrum affirmatione : — b) ex lege universali a qua non probatur fuisse exempta ; c) contra vero, debuit mortem et alias poenalita-

tes pati — 1) ut Filio conformaretur, — 2) ut ostenderet se et proinde Filium vere naturam humanam habere, — 3) ut exemplum patientiae praeberet, nobisque mala redderet magis tolerabilia, — 4) ut misericordiam disceret, non ignara mali, fieretque patrona afflictorum et speciatim morientium.

Non autem morbo mortua videtur aut senectutis debilitate, sed vi amoris et ardentissimi desiderii atque intensissimae contemplationis. (Ita SUAR. ; ALB. M. ; S. FR. SALES. *Am. de D.* VII, 13, 14 ; S. ALPH. *1er disc. sur l'Assomp.*; BOSSUET, *1er s. pour l'Ass* ; etc. *Cf.* TERR. 324, 339).

II. Paulo post mortem, **B. Virgo resuscitata est** a Deo, et in coelum ascendit virtute connaturali corporis gloriosi. Haec tamen resurrectio et translatio in coelum vocatur *assumptio*, non ascensio, quia B. Virgo non ressurrexit propria virtute.

De Assumptione B. Virginis « *tam recepta est sententia ut non possit absque temeritate ab ullo pio in dubium vocari* » (SUAREZ. Disp. XXI. 3. 2 n. 9). « Negare, licet sit fidei minime adversum, quia communi Ecclesiae consensui repugnat, petulantis esset temeritatis » (CANO : *De loc. theol. l.* XII. *p.* 10). « Illicitum est hanc doctrinam aspernari vel refellere » ait BENED. XIV in *de fest. beat. Virg. l.* II *cp.* VIII. 18 ; *cf. de serv. Dei beat. et can.* l. I, *cp.* XII).

Probatur 1° *Ex unanimi consensu* totius populi christiani a duodecim saltem seculis.

2° *Ex sacra liturgia :* In **Oriente,** festum celebrabatur certo seculo sexto, nam imperator Mauritius (582-602) jussit illud celebrari die 15 Augusti : existebat ergo antea (M. 147, 292). — In Occidente, **Romae** jam seculo septimo, nam, in notitia Sergii I (687-701), *Lib. Pontif.* dicit eum statuisse viam sequendam in Litaniis in 4 festis beatae Mariae, inter quae est dormitio. Sacramentarium revera gelasianum, quod est seculi septimi labentis, habet hoc festum — In **Gallia** seculo jam sexto — at in mense januario, si fides est GREGORIO TURONENSI in *de Glor. Mart.* I. 4 et 9 (M. 71, 708-713), celebratur festum beatae Mariae quod valde antiquius videtur ; at dubitatur utrum fuerit festum dormitionis an tantum divinae Maternitatis (cf. D. MORIN : *Rev. bénédictine* 1888, p. 344-345).

3° *Ex traditione litteraria.* — a) Primae attestationes facti Assumptionis inveniuntur in *Apocryphis (cf.* RENAUDIN. *op. cit.).* — b) Aliae attestationes sunt forte S. EPIPHANII in HAERES. LXXVIII. 11 (M. 42, 716 C. D), et *JUVENALIS episcopi Hierosolymitani (451), qui interrogatus ab imperatore Marciano ubinam esset corpus B. M. V., responderit illud esse jam in coelo (Ita *S. Joann. Damasc.* in *hom.* II *de dormitione.* M. 96, 748-749). — Pariter *itinerarium* anni 570 dicit Hierosolymis « monstrari sepulcrum de quo dicunt sanctam Mariam ad coelos fuisse sublatam » *(Dictionn. d'Archéol. art. Assomption,* p. 2496 et *cf. ibid.* p. 2991-2993 opinionem expositam quod Assumptio repraesentaretur in sarcophagio ecclesiae Santa Engracia Caesaraugustae in Hispania).

4. Ex *auctoritate theologorum* (P. 619). *Cf. Dict.* p. 2137.

5. Ex *ratione theologica* : — a) ratio prima et quasi radicalis est divina maternitas, ut saepe docent Patres (HURT. n. 619, 4 ; TERR. II, 364) : non poterat corpus ita consecratum foede corrumpi, in pulverem ignobilem redigi, atque plane ignotum jacere usque ad finem mundi ; — b) adde connexionem ejus cum Filio : consociata illi in triumpho de peccato, de concupiscentia, debebat etiam consociari in triumpho de morte. Confirmatur ex mirabili parallelismo inter privilegia Filii et privilegia Matris, in praedestinatione, mysteriis vitae, gloria coelesti, cultu ecclesiastico... — c) Hoc requirit status gloriosus B. V. : 1° Regina coeli debet esse in propria natura perfecta, et non privari parte sui constitutiva tam sancta, tam amabili non tantum sanctis et angelis, sed ipsi Deo : corpore enim fuit Mater Dei ; 2° praeterea ita magis eloquenter potest fungi munere mediatricis : ut Christus in coelo vulnera, ita B. V....

6. *E. Scriptura* tandem, accedente Patrum suffragio, ita deducebant 113 Patres concilii VATICANI in suo postulato ut definiretur dogma Assumptionis *(cf.* HURT. n. 619, 3) : Peccatum ejusque fructus concupiscentia et mors a Christo sunt devicta *(Rom.* V-VIII ; 1. *Cor.* XV, 24, 26, 54, 57 ; *Hebr.* II, 14, 15 ; etc.). Jam B. Virgo est consociata Filio in hoc triumpho *(Gen.* III, 15). Ergo, sicut de peccato per Immac. Conceptionem, et de concupiscentia per virginalem maternitatem, sic etiam de morte singularem triumphum, per acceleratam et scd similitudinem Filii sui resurrectionem, retulit. — Alii Patres Vaticani, in eodem postulato, profitentur Assumptionem esse dogma apostolis revelatum, et perpetua traditione transmissum : adduntque aliqui assumptionem esse hujusmodi factum quod sola revelatione divina ut certum credi potuerit. *(Cf. Acta Concil. coll. Lacensis*, t. 7, p. 868-872. *Cf. Dict. de théol.* p. 2139, et *art.* P. RENAUDIN in *Rev. thomiste : mai-juillet* 1902).

ARTICULUS II.

DE COELESTI GLORIA B. M. V.

THESIS L. — B. V. Maria, coelesti gloria seu beatitudine sanctis omnibus et Angelis sine ulla proportione praecellit. (SUAR. XXI, 3, 4 ; DE RHODES, p. 260).

Exponitur haec praecellentia tum generaliter, tum specialiter de beatitudine sive essentiali sive accidentali.

1° Hanc gloriam esse ineffabilem, et *supra gloriam omnium*, — a) affirmant Patres, quorum multos et pulchros textus refert SUAR. XXI, 3 et XVIII, 4 ; — b) testatur Ecclesia tum expresse : « exaltata est S. Dei gen. supra choros.... », tum implicite, multis titulis quibus B. V. compellat, cujusmodi sunt : Regina coeli, Angelorum, sanctorum omnium ; Gloriosa Domina, excelsa super sidera, etc. : — c) ratio demonstrat, fide nixa : tum ex eminente gradu gratiae et meritorum, tum directe ex dignitate Matris, tum ex munere Mediatricis universalis...

2° Ergo, quoad *beatitudinem essentialem*, cognoscit Deum cum majore perfectione intensiva, etiam extensiva : videt in eo omnia et singula quae omnes et singuli beati vident, siquidem unusquisque cognoscit quae ad se suumque statum pertinent. Ergo Mater et Mediatrix omnium, Regina bea-

torum, omnia cognoscit. — Amor et gaudium ejus aequali gradu existunt.

3° Nunc de *beatitudine accidentali*. — a) Bona animae : praeter illa quae omnibus communia sunt, et quae B. V. magis plene participat, habet praeterea, eminentiori modo, eas dotes quae speciales sunt aliquibus : virginibus, doctoribus, martyribus... b) Bona corporis : habet, praeter cetera, eum splendorem pulchritudinis quem postulant divina Maternitas, gloria animae, regia dignitas, et tandem felicitas ceterorum Beatorum, quorum oculi nulla contemplatione ita delectabuntur ut contemplatione Jesu et Mariae, — c) Bona extrinseca : honor maximus ei defertur a Deo, a Beatis, ab Ecclesia militante ; possidet auctoritatem plenam, intercessionis apud Deum, et potentiae erga omnes creaturas. Est Regina coeli et terrae, quia Mater Regis, gratiarum distributrix, Mater omnium. — Ergo sub Christo singularem chorum constituit, et de ea melius quam de Esther verum est quod scribitur (*Esth.* II, 16-17)...

PARS ALTERA.

DE B. V. MARIA IN ORDINE AD NOS.

Agendum 1° de muneribus B. Mariae V. erga homines ; 2° de officiis hominum erga B. Mariam V.

Caput Primum :

DE MUNERIBUS MARIAE V. ERGA NOS.

Omnia sub uno *Mediatricis* titulo continentur. Supposita igitur mediatione ontologica, seu secundum esse, qua B. Virgo est media inter Deum et nos, et evolvendo solam mediationem officii, seu secundum munus, agitur 1° de ejus in opere redemptionis cooperatione ; 2° de ejus in applicatione redemptionis seu in gratiarum distributione intercessione ; proindeque 3° — quod resumit omnia — de ejus vera erga nos maternitate.

Articulus I.

DE COOPERATIONE REDEMPTIONI.

THESIS LI. — Sicut cum Adam Eva cooperata est ad ruinam humani generis, ita cum Christo B. V. M. ad ejus redemptionem :

(Suar. XXIII, 1. « Dico secundo » ; XVIII, 5, post medium ; de Rhodes, p. 265 ; Jeanjacquot, *simples explications...*; Passaglia, 902-978 ; 1373, sqq. ; Petav. XIV, 9 ; Terr. III, 3 ss. ; Billot, *th.* 39...).

Sensus theseos. Solus Christus est Redemptor proprie dictus necessarius et sufficiens. B. Virgo non potest esse proprie Redemptrix. Ex gratiosa tamen Dei voluntate, ad meliorem modum redemptionis, cooperationem suam dedit libere Redemptoris mater. Christus totum solvit ; sed non solvit, de facto, nisi sub conditione cooperationis, quam ipsa sciens et volens praestare debebat et praestitit. Haec igitur cooperatio non influit in Redemptionem immediate sed solum mediate : non ipsa solvit ex suo aliquam partem pretii, sed intervenit tanquam causa moralis in solutione a Filio suo facta. Sicut tota ruina generis humani ex solo Adae peccato immediate procedit, et a peccato Evae solum indirecte, per peccatum Adae, cujus ipsa fuit causa moralis, ita,... vere tamen « a muliere initium factum est peccati, et per illam omnes morimur » *(Eccl.* XXV, 33) ; ita et reparatio incipit per Mariam : ipsa enim, sciens et libere volens, dedit nobis Salvatorem, et morti ejus consensit. *(Cf.* Terr. III, 236 sq.).

Cooperata est ergo, non materialiter solum, sed **et formaliter** ; cooperata est remote et minus proprie, merendo Incarnat. de congruo ; proxime

et proprie, Redemptorem qua talem sciens et volens concipiendo, pariendo, alendo, et ita quasi ad sacrificium praeparando ; offerendo Patri *(Lc.* II,22), et in ipsa Passione, consentiendo sacrificio ejus. Quod vero ipsa Filii satisfactioni suos dolores, sua merita, suasque orationes conjunxerit, hoc videtur ad applicationem Redemptionis referendum, non ad ipsam Redemptionem.

Probatur thesis tqm *certa.*

1° *Patres* unanimi voce aiunt *Mariam* cooperatam esse Redemptioni sicut Eva ruinae : Cf. HURT. n° 593, 623 ; PETAV. XIV, 9, etc. — S. JUSTIN, *Dial.* 100 (M. 6, 709), inobedientiam Evae per obedientiam Mariae, quando Angeli Verbo obedivit, sanatam esse dicit. — TERT. *de carne Christi* 17 (M. 2, 782) : « Crediderat Eva serpenti, credidit Maria Gabrieli : quod illa credendo deliquit, haec credendo delevit ». — S. IREN. III, 22, 4 (M. 7, 958) : « Eva inobediens... et sibi et universo generi humano causa facta est mortis : sic et Maria... obediens, et sibi et universo generi humano causa facta est salutis. » (*Cf.* V. 19 (1275), quem locum affert S. AUG. *c Jul.* I, 3.)

— Item S. CYR. HIER. (33, 741) ; HIERON. (22, 408) ; AUG. (40, 303) ; EPIPH. (42, 729) ; TARAS. (98, 1493) ; SOPHRON. (37, 3241) etc. ; verbis aequipollentibus repetunt : Mors per Evam, vita per Mariam.. ; auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. — Multi eam exhibent tanquam quae serpentis caput virgineo pede contrivit ; eam cernunt praefiguratam in omnibus illis feminis V. T^ti^ quae ad liberationem populi sui operam contulerunt : v. praes. *Judith,* XIII, 24, ss. ; *Cf.* HURT. n. 620.

Quidam ex veteribus, sed multo clarius Sancti et Doctores ultimorum seculorum explicant in hoc esse cooperationem B. Virginis, quod libere consenserit in Incarn. et Redempt., quod Filium obtulerit morientem, etc.

(S. BERN. *h.* 4 *sup. Missus est,* 8 (M. 183, 83) ; BOSSUET, 4^e^ *s. pour l'Ann. (Lebarcq.* II, p. 3-6) ; *pour l'Immac. Conc.; sur la Dév. à la T. S. V. (Lebarcq,* V, 607, ss.) ; S. ALPH., *Gloires de Marie,* c. 2, § 2 ; *S. Bern. de Sienne,* apud TERR. II, 179).

2. *Ratio theol.* — Quod ita convenientissime factum sit, prob. : quia sic Deus providit tum ad gloriam suam, tum ad gloriam Virginis, tum ad bonum nostrum : 1° ut reparationis modus perfecte responderet praevaricationi, et reparatio veniret a femina sicut perditio ; et sic etiam sexus uterque a casu surgeret ; 2° ut Mater Dei glorificaretur modo sibi conveniente materque capitis fieret mater membrorum ; 3° ut nos matrem vere haberemus etiam in ordine supernaturali, et ita cum majore fiducia accederemus ad Redemptorem et ad Deum. *Cf.* S. BERN. in *Breviar.* 24 *Maii,* 2 *Noct.* (M. 183, 429).

3. Hanc doctrinam ipsa *Scriptura* videtur innuere. — a) Redemptionis promissionibus : sicut Adamo, principali mortis auctori, Evam consociat ut ruinae cooperatricem, ita Mariam Christo reparatori, ut cooperatricem reparationis : mulierem cum semine conterente caput serpentis (*Gen.* III, 15 ; *Cf.* Boss. *Elev.* 8^e^ *sem.* 3^e^ *élév.*) ; cum Emmanuele, Virginem matrem (*Is.* VII, 14) ; radicem cum flore (*Is.* XI, 1). — b) Redemptionis

historia : Matrem passim ostendit cum Filio conjunctam ; praesertim eam ostendit libere Incarnationi consensisse, scientem proinde et volentem dedisse Redemptori carnem et sanguinem ; hunc obtulisse Deo, sacrificio adstitisse,sane consentiendo ejus immolationi, seseque ipsam cum illo offerendo, dum ipsius anima, secundum Simeonis prophetiam,doloris gladio transfigebatur (*Cf. Jeanjacq.* n. 41-44 ; TERR. I, 137, ss.)

Scholion : De appellatione « *coredemptricis* ». — De facto ac de modo quo B. V. redemptioni formaliter cooperata est non potest esse inter catholicos ulla controversia. Utrum vero ad hanc cooperationem significandam apta sit appellatio « coredemptrix » dubitari potest. Non desunt sane qui eam libenter adhibent. Attamen, quia, ubi munus illud « coredemptricis » explicant, reducunt illud ad munus cooperatricis, non desunt etiam qui nomen illud improbant ut plus significans quam quod recte admittitur, ideoque, quatenus aequivocum, melius in theologia vitandum (Sic *Rev. des Quest. phil. et théol.* 1907 p. 799).

ARTICULUS II.

DE MUNERE MEDIATRICIS INTERCESSIONIS UNIVERSALIS.

THESIS LII. — B. V. M. pro nobis intercedit ut mediatrix potentissima ; imo pia et probabilis est sententia omnes gratias supernaturales nobis per ejus mediationem provenire.

I. **B. V. intercedit pro nobis ut Mediatrix potentissima** (SUAR. XXIII, 2 ; PETAV. XIV, 9 ; TERR. III, 360).

Negant illi soli haeretici, qui intercessionem Sanctorum universim rejiciunt, ut inutilem, Christo injuriosam, impossibilem Sanctis utpote ignorantibus necessitates et orationes nostras, vel aiunt eam esse tantum generalem et indeterminatam.

1. *Coroll.* ex doctrina generali de intercessione sanctorum.

2. *Directe* : Patres docent B. V. esse commune propitiatorium, mediatricem benignissimam et potentissimam, adjutricem, auxilium nostrum etc. (SUAR. *l. c.*; PASSAGLIA, n. 1391, *sqq.* 1404, etc.). Sensus Ecclesiae et fidelium, vocat eam *spem nostram* ; ab ea, ut a Regina potentissima, postulat : Vitam praesta puram... Solve vincla reis .. V. totam antiph. « *SalveRegina* », et, si vacat, ejus insigne *commentar*, a S. ALPHONSO ; — Orat. « *Memorare* »... (*Cf.* S. EPHRAEM, apud PASSAGLIA n. 1393; — S. ANSELM. (M. 158, 944). — Alios *ap.* TERR. III, 363-386).

3. *In terris* vivens, orabat pro hominibus. Ergo etiam *in coelo* : cognoscit, est benignissima, apud Deum potentissima, ejusque intercessio, nedum displiceat Christo, ipsius auget honorem imo et gaudium. — Intercedit, tum ex obligatione muneris, tum ex propensione misericordiae et caritatis.

4. *Excedit aliorum intercessionem* 1° universalitate, 2° efficacia. Ideo etiam alios sanctos adhibemus apud ipsam intercessores. Probabiliter plus sola potest quam omnes alii simul : quia Mater Dei, Regina et mater omnium, et etiam omnibus collective sumptis sanctior. (*Cf.* TERR. III, 433-560).

II. **Per ejus mediationem omnes gratiae supernaturales nobis proveniunt**. — (*Cf.*, praeter citatos a P. Terrien, Bainvel : *Marie mère de Grâce* in *Études* : 5 mars 1903).

Licet *depositariam* dicamus et *distributricem* omnium gratiarum Dei supernaturalium, *non affirmamus* tamen *necessitatem* ut omnes gratias ab ea postulemus ; sed hoc tantum : *Nullum bonum supernaturale Deus nobis confert, quod non conferat propter intercessionem* B. V. M., sicut propter interpellationem Christi, servata sane proportione. Haec propositio, ait S. Alphonsus, hodie asseri potest *communis inter theologos et doctores*.

Probatur, saltem ut *pia et probabilis* : — 1. *Auctoritate Sanctorum*, et doctorum ultimorum seculorum. (*Cf.* P. de la Broise, « *Études* », *t.* 68, *p.* 25, *sq.*, et *t.* 83, *p.* 302). — a) Inter omnes, praecipuus S. Bernardus (de cujus auctoritate in his quaestionibus optime Petav. XIV, 9, n. 11 ; lege praes. M. 183, 437, etc. — b) B. Albert. M. *Super Missus*, *q.* 164 (*t.* 20, *p.* 164). — c) S. Bernardin. Senens; S. Leonard.; B. Grignon de Montfort : quorum loca indicantur « *Études* », *l. c.* d) S. Alphonsus, maxime omnium post S. Bernard., audiendus. In supplicatione qua postulabatur ut titulus Doctoris Ecclesiae illi attriburetur, 73 episcopi hanc inter alias rationem afferebant : « Adstruit, multisque argumentis probat doctrinam hodie a theologis communiter receptam, scil. B. Virginem fuisse omnium gratiarum thesaurariam et dispensatricem, seu omnes quas a Deo accipimus gratias nobis concedi per ejus intercessionem et interventum ». V. praes. *Gloires de Marie*, *part.* I, c. 5 ; *part.* II, *disc. sur la Visit.* ; *Réponse à un anonyme*. — e) Suarez, XXIII, 3 : « Mediatrix ad Mediatorem ; veluti collum per quod influentiae capitis ad corpus descendunt »... — f) Bossuet, 3e *s. sur l'Imm. Concept.* — g) S. Thomas, in *exposit. in Ave Maria*, circa medium, probat B. V. tantam habere « quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo ».

2. *Documentis Summorum Pontificum*, ubi hanc doctrinam afferendo, satis significant eam esse nunc in Ecclesia communiter receptam : a) Bened. XIV, in *bull.* « *Gloriosae Dominae* » pro Congreg. B. M. V., post initium. « Ipsa est coelestis veluti rivus, per quem gratiarum omnium atque donorum fluenta in miserorum mortalium sinum deducuntur... » — b) Pius IX, *encycl. ad episc.*, 1849 : « Optime nostis, VV. FF., omnem fiduciae nostrae rationem in SS. Virgine esse collocatam, quandoquidem Deus totius boni plenitudinem posuit in Maria, et proinde si quid spei in nobis est, si quid gratiae..., ab ea redundare noverimus... quia sic est voluntas ejus qui totum nos habere voluit per Mariam ». — c) Leo XIII, in pluribus encycl., *de Rosario*. Sic 22 sept. 1891 (*t.* 5 *p.* 10) dicit hoc esse Dei consilium « nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus... nihil nobis nisi per illam impertiri, ut, quo modo ad summum Patrem nisi per Filium nemo potest accedere, ita fere nisi per Matrem accedere nemo possit ad Christum ». — 8 sept. 1894 (*t.* 5, *p.* 294) citans S. Bernard. Sen. dicit : « Omnis gratia quae huic saeculo communicatur, triplicem habet processum : nam a Deo in Christum, a Christo in Virginem, a Virgine in

nos ordinatissime dispensatur ». — (V. etiam *t.* 6, *p.* 89, s. — PIUS X in Encycl. « *Ad diem* », ante medium, §. « Equidem »... *(Quest. Act.* 20 *febr.* 1904, p. 202-204).

3. *Patres* affirmare solent, ut vidimus, eam esse patronam et mediatricem universalem ; bonorum omnium conciliatricem ; nostri omnium sollicitam ; sed aliquando explicite nostram thesim enuntiant : *v. g.* S. GERMAN. CONSTANTINOP... *De Zona Virg.* (M. 98, 380) « Nemo est cui donum concedatur nisi per te »...

4. Invocari etiam potest *sensus et praxis Ecclesiae,* quae ad Mariam recurrit ut ad universalem mediatricem ; orationesque publicas Deo offert per ejus intercessionem. SUAR. XXIII, 3, hoc inde probat, quod Ecclesia alios sanctos adhibet ut *intercessores particulares,* B. V. ut *advocatam universalem,* eamque assidue invocat. « Nullus est dies in quo non illi publicas orationes offerat, vel in horis canonicis, vel in missae sacrificio, vel signo publice dato semel aut bis aut ter in die, ut universus populus Virginem deprecetur... Praeterea in concionibus etiam publicis orationem ad Virginem praemittit... Deinde ad eam invocandam plures dies festos illi habet dicatos...Quare, sicut omnes orationes Deo praesentat per Christum, ita etiam aliquatenus per Mariam ».

5. Hanc Mariae mediationem universalem insinuare videtur ipsa *Scriptura,* dum per Mariam 1° datur auctor gratiae, 2° incipit fieri gratiae applicatio et distributio (*Lc.* I, 41-45), 3° obtinetur primum miraculum quo fides Apostolorum confirmatur (*Jo.* II, 1-12).

6. *Rationes convenientiae :* hanc commissam esse B. Virgini mediationem universalem postulant — a) partes quas in Redemptione habuit : quae cooperata est ad acquirendam quamlibet gratiam, in ejus etiam distributione intervenire debet ; — b) ejus dignitas Reginae universalis in ordine praesertim supernaturali, et auctoritas amorque Matris totius familiae Dei ; — c) suavitas et ordo consuetus divinae Providentiae quae admittere solet, quantum potest, interventum causarum secundarum, et exaltare sanctos suos secundum proportionem meriti ipsorum, et amoris quo eos prosequitur ; — d) nostrum bonum, ut securius et confidentius omnia a Deo ex Christo sperare possimus. — Difficult. apud TERR. 589 ad fin.

ARTICULUS III.

DE MATERNITATE B. MARIAE ERGA NOS.

THESIS LIII. — Maria est Mater nostra in ordine vitae supernaturalis.

(S. ALPH. *Gloires de Marie,* I, *part. c.* 1 § 2 ; DE RHODES, 196 ; HURTER, n. 578 ; P. 579).

Prob. 1. **Ex omnium fidelium sensu**...— Ex Ecclesiae auctoritate, quae, v. g. in liturgia, vocat eam matrem misericordiae, gratiae, matrem nostram : « Deus qui Genitricem dilecti Filii tui matrem nobis dedisti... » (in fest. B. V. de *bono consilio*)... — Summi Pontifices, saepe, in actis

publicis : v. g. Bened. XIV, in bulla « *Gloriosae Dominae* » : « Catholica Ecclesia eamdem... tanquam amantissimam Matrem extrema sponsi sui morientis voce sibi relictam, filialis pietatis affectu prosequi semper studiosissime professa est ». Item Leo XIII, *t.* 6, *p.* 89 ; *t.* 3, 274 ; etc. ; Pius X, Encycl. « *Ad diem* », affirmat et probat : § « *An non Christi* », et ss. (*Quest. act. febr.* 1904. *p.* 200).

2. **Ex Patrum auctoritate.** Appellant Mariam Matrem electorum, christianorum, viventium, vitae, et rationes hujus tituli afferunt, quod non poterat esse Mater Salvatoris quin esset Mater eorum quos ille salvat, generare Caput, quin esset Mater membrorum, et ostendunt, data occasione, quomodo impleat erga nos omnia matris officia... Ita, inter alios, S. Epiphan. (M. 42, 728), Mariam comparans cum Eva, dicit : « Revera a Maria Virgine vita ipsa est in mundum introducta, ut viventem pariat, et viventium Maria sit mater », et plura addit in eodem sensu. — S. Athanas., S. Ambros., S. Hieron., dicunt eam genuisse, non tantum Salvatorem, sed et salvatos ; germinasse, non unum tantum granum tritici, sed integrum tritici acervum... Sed audiatur praes. S. Aug. *de S. Virginitate* c. 6 (M. 40, 399) : « Illa una faemina non solum spiritu, verum etiam corpore et Mater est et Virgo. Est Mater quidem spiritu, non capitis nostri, quod est ipse Savator ex quo magis illa spiritualiter nata est... Sed plane Mater membrorum ejus, quod nos sumus, quia cooperata est caritate ut fideles in Ecclesia nascerentur, quae illius capitis membra sunt. Corpore vero, ipsius capitis Mater ».

Docent ergo Patres Mariam esse Matrem nostram. Sed idem frequentius affirmant et uberius amplificant recentiores sancti et ecclesiastici Scriptores.

3. **Ex** *Jo.* **XIX, 26, 27** solet confirmari haec doctrina inde a saec. 12 : et haec *interpretatio facta est universalis* apud scriptores asceticos. *(Cf.* Bened. XIV et Leo XIII modo citatos ; Bossuet, *sermon pour la f. du Rosaire ; pour le jour du Scapul. ; V.* alios innumeros apud Terr. III, 252-274). — Nec immerito, dummodo attendatur sensum illum, vi cujus S. Joannes hoc loco dicitur repraesentare eos omnes qui Christo adhaerent, **non esse litteralem** aut **typicum** sed **mere accommodatitium** seu **potius exemplarem.** Ex hoc enim loco non licet arguere ad thesim nostram nisi, a) *per comparationem,* quatenus cultum quem discipulus habuit erga Christi Matrem omnes habeamus ; vel b) *per deductionem,* ad modum quo argumentatur Origenes *(in Joann. Comment* I. 6 M. 14,32 A), ubi sic probat Joannem potuisse dici filium Mariae, etsi Jesus sit solus ejus filius : Ideo Joannes est filius Mariae quia identificatur Jesu. Atqui Joannes identificatur cum Jesu quia vivit vita ejus. Ergo ideo Joannes est filius Mariae quia vivit vita Jesu. Jamvero, non tantum Joannes sed etiam omnes christiani, aliquo saltem gradu, vivunt vita Jesu. Ergo omnes christiani sunt filii Mariae *(Cf.* Knabenbauer in *h. l.* p. 547 et Bainvel : *Etudes* t. 97, p. 595-596).

4. Prob. praes. et explicatur **ratione theologica.** Maria mater nostra est : — a) *affinitate :* per gratiam sumus fratres adoptivi Christi ; vel, alio

modo, animae nostrae ejus sponsae : proinde, quadam affinitate, sumus filii Matris Christi ; — b) *adoptione,* ex ipsa Mariae caritate erga nos, et ex voluntate efficaci, seu donatione Christi morientis ; — c) *generatione spirituali,* per cooperationem suam tum ad Redemptionem, tum ad hujus applicationem *(Cf.* S. Anselm. apud Hurt. *l. c. ;* et Patres citati in *th.* 51) ; — d) *affectu plane materno,* et constanti sollicitudine usquedum perfecte formetur Christus in nobis : filios quos genuit amat, alit, protegit, educat, consolatur, defendit, in via recta retinet, vel errantes reducit et in gratiam Patris redintegrat, ipsorum haereditatem curat et conservat. Singulorum Matrem sese exhibet ab initio, in eorum vita, morte, post mortem in Purgatorio, in coelo, cum sit Regina et Mater electorum (S. Alph. *l. c. c.* 8). Totius Ecclesiae Matrem sese exhibet, jam in caenaculo post Christi resurrectionem auspicata, et nunquam desinens in caelo *(V.* Leo XIII, *t.* 6, *p.* 89, ss.)

Coroll. Ergo B. V. M. est Mater Ecclesiae ; omnium hominum ; aliquorum speciali titulo. *Cf.* Terr. IV, 3-163.

Caput Secundum :

DE OFFICIIS NOSTRIS ERGA B. VIRGINEM.

Seu de devotione erga B. V. Devotio enim haec est voluntas prompta ad omnia illa exequenda, quae placent B. V., et in ejus gloriam vergunt. Paucis dicemus, 1° quae sint haec officia seu obsequia verae devotionis erga B. V.; 2° quae sit hujus devotionis necessitas et utilitas.

Articulus I.

DE CULTU B. VIRGINIS.

THESIS LIV. — Perfecta devotio erga B. V. includit 1° cultum hyperduliae, 2° fiduciam et invocationem, 3° amorem et imitationem.

I. **B. Virgini debetur cultus hyperduliae** (Suarez, XXII ; Petav. XIV. 8 Terrien, IV. 168 sqq.).

1. **Debetur aliquis cultus religiosus.** *De fide* est, ut probabitur de cultu sanctorum generatim. Sed probatur argumentis specialibus.

A) *Ex praxi Ecclesiae vetustissima.* — N. B. : cultus Mariae specialis non tam cito apparet quam cultus sanctorum, sive quia sanctorum cultus erat ex memoria locali, sive quia B. V. M. colebatur una cum Christo in Christi vitae mysteriis, sive melius quia oportet intime cognoscere Jesum ad intelligendam Mariam. — Antiquiora vestigia cultus specialis erga B. V. M. recenseri haec possunt : **a**) veneratio erga speluncam **Bethleem** ubi putabatur natus Salvator (Origenes : *cont. Cels.* I. 51 ; Euseb. *Vit. Constant.* III. 41); **b**) basilica *Annuntiationis* in oppido **Nazareth**, seculo jam 4° *(Dictionn. d'archéol. chrét. art. Annonciation col.* 2245-2247) ; **c**) associatio Matris ad

cultum Filii, quam testantur homilia *S. Greg. Thaumaturgi* in *Nat. Christi, libri apocryphi,* picturae variae in **catacumbis** *(cf.* NEUBERT : *Marie dans l'Egl. anténic.* p. 259 *sqq.* ; GRISAR : *hist. de Rome et des papes* t. II, p. 115-116 et t I[1], p. 414) ; **d**) *ecclesiae B.M. V. dicatae* v. gr. **Romae,** S. Maria Antiqua, quam erexit S. Silvester *(cf.* GRISAR *op. cit.* I[1], p. 202-206) ; S. Maria Major, quam erexit Sixtus III (*ibid.* p. 309) ; **Ephesi,** concilium anni 431 habitum est in ecclesia quae vocabatur Μαρία θεοτόκος ; **e**) *festa antiquitus celebrata* : Purificatio, **Hierosolymis** jam annis 385-386 et **Romae** jam sub Gelasio (492-496) (GRISAR, *op. cit.* I[2], p. 9-10). In mense januario jamdiu celebrabatur festum B. M. V. v. gr. in **Gallia** seculo sexto *(cf.* DUCHESNE : *Origines du culte chrétien,* ch. VIII) ; **f**) Post concil. *Ephesinum* non est dubium quin multa incrementa acceperit cultus B. M. V. Seculo sexto, in **Oriente,** Justinianus (582) jubet *Purificationem* celebrari Constantinopoli ; Mauritius (582-602) jubet *Dormitionem* celebrari die 15 Augusti. Seculo septimo,in Oriente,concil.quod dicitur IN TRULLO (692) novit festa B. M. V. Nativitatis, Annuntiationis, Dormitionis. In Occidente, Sergius papa (687-701), teste *Libro Pontificali,* novit 4 festa Purificationis, Annuntiationis, Nativitatis, Dormitionis.

B) *Hic cultus fundamentum habet in Evangelio (Lc.* I, 28, 42, 48) praeformatusque est in V. T^to^ (S. BERN. *hom.* 4, *super Missus est,* n. 11 : (B. V.) « laudabilem praedicant prophetae,perhibet Angelus, narrat Evangelista »).

Aliter, ex P. de RHODES : cultum B. V. deberi probatur *exemplo personarum insignium* quae eam quam maxime honoraverunt ; — Personae *divinae...* — *Angeli* : non tantum angelus Gabriel, sed omnes, tum, probabiliter, jam ab ipsorum creatione (*cf.* SUAREZ), tum saltem ab initio vitae ejus, et magis post mortem ; — *Apostoli,* Doctores, Sancti, classes omnes Ecclesiae, speciatim ordines religiosi ; — nationes omnes christianae, illae praesertim quae religione et praeclaris pro Deo gestis claruerunt ; — jam ante nativitatem ejus patriarchae, prophetae, sapientes...

C) *Probatur a priori* : 1° ex eminente B. V. dignitate ; 2° ex cultus illius consonantia cum ratione. — Confirmatur a posteriori, ex felicissimis ejusdem cutlus fructibus : quo propagatur et conservatur religio et pietas, sive ob favores B. Virginis in eos qui ipsam colunt, sive ob suavitatem qua corda hominum allicit dulcissimae Matris amor et protectio.

2. **Cultus hyperduliae.** — a) *Non cultus latriae absolutus,* ut patet (contra haeresim Collyridianorum) ; — b) *nec cultus latriae relativus,* ratione scilicet relationis contactus quam habuit ad Christi divinam carnem, sicut relativo cultu vera crux adoratur. Speculative quidem, hic cultus non videtur repugnare, practice vero, vitandus est propter periculum idololatriae, et moraliter loquendo. minus conformis est recto hominum sensui, nec satis honoraret B. V. — c) *Sed cultus dulia superior* : Si haberet solum gratiam et sanctitatem eminentem qua superat omnes, sufficeret probabiliter cultus duliae summus. Sed propter divinam maternitatem (quae sane sumenda est adaequate cum gratia sanctificante, et aliis praerogativis quas secum trahit) B. V. habet dignitatem et excellentiam altio-

ris speciei ; meretur ergo cultum specifice diversum : quod tenemus ut certum. — Hic cultus a simplici dulia differt, non quidem actuum intensitate sed eorum specie : habetur B. V. Deiparae existimatio altior, hujusque externa manifestatio, invocatio tandem ejus tamquam Reginae et Dominae, utpote Dei Matris.

II. **Fiducia et invocatio** (de RHODES, 275 ; SUAR. XXIII, 3).

Motiva : a) **Ecclesiae praxis** et traditio Sanctorum, eorumque exhortatio frequentissima et eloquentissima ; — b) **exempla** mirabilia et innumera : S. BERN. : « Neminem vidi ad te accedentem qui perierit, neminem a te recendentem qui non perierit ». — c) **Rationes** quas iidem Sancti exponunt atque illustrant, v. g. hunc cultum meretur et optat ; benefacere potest, vult, debet (V. SUAR. XXIII, 2, 3) — d) **fructus** hujus fiduciae felicissimi : praecipue supernaturalis quaedam spes, laeta et pacifica, sed audax et constans, ex judicio certo de futuro sanctae Matris auxilio, et perpetuus atque efficax ad eam recursus, in omnibus periculis, negotiis, desideriis...

III. **Amor et imitatio** (de RHODES, p. 272).

1. **Amoris motiva quaedam praecipua** : a) *Deus et Christus :* Dei bonitas in ea magis relucet quam in omnibus caritate divina diligendis, ipsaque est cum Deo proxime conjuncta ; Dei voluntas cupit eam a nobis amari, ideoque disposuit ut omnia per eam reciperemus, — b) *Ipsa beata Virgo*, in qua splendent ea quae sunt maxime amabilia : perfecta bonitas et pulchritudo. — c) *Nos ipsi*, qui insignia bona ab ea recepimus, imo Christum ipsum ; et alia accipienda speramus.

2. **Imitatio B. M. V.**, licet non sit devotionis erga B. V. pars essentialis, est tamen fructus devotionis perfectae, speciatim perfecti amoris erga illam. Proprium enim est amicitiae et caritatis amantem amato assimilare, et praeterea nihil gratius exhibere potest amans amato quam virtutes quas hic maxime diligit. — Neque post Christum exemplar perfectius nobis poterat proponi. V. S. AMBROS. *de Virgin.* II, 2, et multos Patres hanc virtutum B. Virginis imitationem proponentes, apud PASSAGLIA, *l. c.* n. 1361, ss. — (*Cf.* BOURDALOUE. 2e *Serm. pour l'Assompt.; de la dév. à la S. V. ;* DE GALLIFET, *Excellence de la dév. à la S. V.*).

ARTICULUS II.

DE HUJUS DEVOTIONIS NECESSITATE AC UTILITATE.

THESIS LV. — Devotio erga B. V., etiam privata, non tantum summe conveniens est, sed etiam necessaria, saltem aliquo sensu ; eaque maxima sua utilitate commendatur. (Cf. TERR. IV, 253, ss. ; SUAR. XXIII, 3.).

I. **De necessitate.** — Cultus B. Virginis, non solum ab Ecclesia praecipitur, sed et ab ipso jure naturae, seu potius jure divino connaturali... Qua de causa, Ecclesia et, in unione cum Eccla, omnes christiani debent ei reddere illum cultum cujus actus Ecclesia determinavit : tales sunt

vigiliae, festa, orationes... — Sed quaerimus de privata singulorum devotione, seu cultu, erga illam.

Haec non potest dici rigorose necessaria sive necessitate medii, sive necessitate praecepti : est autem *necessitate quadam morali,* quat. valde difficile est ut salutem operetur quicumque sciens et volens hoc medium salutis negligit, quod est saltem ex praecipuis quae div. Providentia instituit et praxis tum Ecclesiae tum sanctorum omnium commendat.

Probatur 1. ex natura rei, seu ex ordine a divina Providentia stabilito : qui sciens et volens B. Virginem colere aut in vocare negligit, parvipendit unum ex praecipuis adjumentis quod ad salutem Deus nobis providit, quodque maxime commendat Eccl^{a}. — (*Cf.* S. Th. *in* IV, 3, 45, *g.* 3. *a.* 2 ; vel *suppl. q.* 72. *a.* 2).

2. Auctoritate DD. et SS., qui exemplo et verbis commendant hanc obligationem colendi et orandi B.Virginem, hancque obligationem saepe ex eo deducunt quod ipsa sit omnium gratiarum distributrix : *v. g.* S. Ildefons. (M. 96, 69) ; S. Bern. (M. 183, 49, 441, 448) ; S. Alph., *Gl. de M.* I, c. 5 ; cujus aliquot exempla *v.* apud Terr. IV, 286.

A fortiori dari non potest vera pietas erga Deum, verus perfectionis christianae zelus, sine devotione erga B. V.

Coroll. — Haec devotio recte dici potest *nota negativa verae Ecclesiae.* (*Cf.* Terr. IV, 266.)

II. **De utilitate, seu laetissimis fructibus.** Omnia bona ab ea licet expectare, praes. ordinis supernaturalis, tum pro vita praesente, tum pro Purgatorio, tum pro coelo : (*Cf.* Suar. XXI, 3 ; Terr. IV, 316, 339 ; — etiam bona ordinis naturalis, prout expedit saluti aeternae (*Cf.* Poiré, *la triple couronne, tr.* 3. *c.* 5 ; Terr. IV, 272).

2. Praecipue : *haec devotio est signum praedestinationis :* — A. **Probatur :** a) Haec est *doctrina* hodie *communis : v.* auctorum nomina apud Terr. IV, 275 in nota, et 280 ss., qui id probant Eccl^{ae} auctoritate et testimoniis Patrum et Sanctorum. — b) Eccl^{a} in sua *liturgia* B. Virgini applicat textus Scripturae ubi hoc litteraliter affirmatur de diligentibus divinam Sapientiam : *Prov.* VIII, 17-22 ; 34-35 ; *Eccli,* XXIV, 12, ss. *(Cf. Corn. a* Lap. *in haec loca).* — c) S. German. Cp^{lnus} (M. 98, 380) ; S. J. Damasc. (M. 96, 680), *Men.* Graecor. apud Terr. IV, 284, ss.; S. Ildef. (M. 96, 69) ; S. Anselm. (M. 158, 948, 956, 957) : « Sicut omnis a te aversus et a te despectus necesse est ut intereat, ita omnis ad te conversus et a te respectus, impossibile est ut pereat... O beata fiducia, o tutum refugium, Mater Dei et Mater nostra ! » - Confirmatur *oppositione Jansenistarum* revicta : Terr. IV, 287-290. — d) *Ratio a priori :* Maria gratiarum thesauraria, non deserit filium ad se confugientem.

B. **Explicatur** : Discernere oportet, tum quae sit hujus signi certitudo et securitas, tum qua devotione procuretur. *(Cf.* Terr. IV, 290). — a) *Non datur certitudo absoluta,* sed magna probabilitas, aut certitudo quaedam

moralis : lege TRID. VI, 12 (D. B. 805) ; quae ipsa proportionatur gradui devotionis illius, supposito etiam quod illa devotio non deseratur. — b) *Quadruplex* vero distingui potest *devotio* erga B. V. : — 1ª **perfecta,** justorum... ; — 2ª **vera** etiam, sed imperfecta, peccatorum, qui cupiunt converti sine mora, et postulant sincere conversionem : hi spem validam habent obtinendae victoriae ; quidquid calumniati sint Jansenistae (apud TERR. IV, 293). — 3ª Et ipsa vera, licet etiam praecedente **imperfectior :** peccatorum qui nondum converti cupiunt, sed tamen colunt B. V. cum spe ut per ejus intercess. aliqᵈᵒ convertantur, neque interim abutuntur ea devotione ad confidentius peccandum ; verum valde timendum est ne haec devotionis scintilla facile extinguatur ; neque, etiamsi perseveret, dare potest spem *certam* salutis ; dat vero probabilem. *(Cf.* BENED. XIV, apud TERR. IV, 295. — 4° Tandem, **falsa** et B. Virgini injuriosa, peccatoris pertinacis, qui aliquo facili obsequio externo eam ea intentione coleret, ut peccaret liberius : quae praesumptuosa temeritas (et nullatenus devotio) poenam mereretur, non misericordiam *(Cf.* S. ALPH. *Gl. de M.* I, c. 3 ; apud TERR. 297). Et hic ipse peccator adducendus esset, non ad deserenda haec obsequia qualiacumque, sed ad mutandam pravam dispositionem.

APPENDIX.

DE CULTU SANCTORUM, RELIQUIARUM ET IMAGINUM.

Doctrinam catholicam vide expositam et definitam a Conc. Trid. (D. B. 984, 985).

I. De cultu Sanctorum.

Cultum sanctorum non officere cultui absoluto et in aliquo sensu exclusivo Dei, qui etiam in omni cultu sanctorum suorum attingitur, nimis evidens est (*cf.* S. Hieronymi *contra Vigilantium.* (M. 23, 339 sqq.)

Fundatur cultus sanctorum a) in legitima *admiratione* quam movent ei qui, quam maxime Deo conjuncti, propter suam erga Deum devotionem, imo propter suam sanctitatem formalem et materialem — templa sunt Spiritus Sancti —, jam in terris honore speciali digni habiti sunt ; — b) in *factis aut dictis S. Scripturae,* ex qua constat, reverentiam exhibitam esse Angelis, (passim) ; laudandos esse viros gloriosos (*Eccl.* XLIV-L) ; Oniam sacerdotem orare pro populo (II *Machab.* XV, 11 sqq.) ; — c) in *praxi Ecclesiae* quam ab initio viguisse jam nemo est qui neget (cf. Kirsch : *Die Lehre von der Gemeinschaft der heiligen im christl. Altertum ;* P. *n.* 633-637).

Impugnatur hodie praesertim cultus sanctorum, quasi non fuerit in Ecclesia nisi *idololatria rediviva* seu perseverantia in christiana religione cultus pagani heroum et semi-deorum, quem Ecclesia, mutatis objectis, superstitem admiserit. Nititur haec conjectura a) contradictione quae affirmatur adesse inter religionem monotheisticam et cultum sanctorum ; b) substitutione quae facta fuit certorum christianorum festorum paganis ; c) analogiis, imo similitudine, quae deprehenditur inter formas cultus paganas et christianas, etc.

(*Cf.* theorias illas expositas et confutatas apud : Delehaye : *Légendes hagiographiques, ch.* VI ; Pinard : *Infiltrations païennes dans le culte juif et païen (Rev. apologétique* 1909) ; Cabrol *L'idolâtrie dans l'Eglise* (*Rev. prat. d'apologét.* 8bre 1907, p. 71 *sqq.*) ; Grisar : *Hist. de Rome et des papes,* I³, *p.* 330 sqq.)

Hic sufficit **principium solutionis** indicare a SS. Hieronymo et Augustino mutuatum : « Illud fiebat idolis, et idcirco detestandum est ; hoc fit et martyribus, et idcirco recipiendum est » (Hieron. *cont. Vigilant.* 7 M. 23, 361). — « Qui christianas litteras sciunt, non hoc culpant in sacrilegis ritibis paganorum quod construant templa et instituant sacerdotia et faciant sacrificia, sed quod haec idolis et daemoniis exhibeant » (S. August. *Epist.* CII. 18 M. 33, 377). Uno verbo, dato sensu religioso hominibus connaturali, data natura hominum sensibili, necessarium est modos cultum exhibendi supplicationesque referendi esse ubique terrarum ejusdem generis, ita ut analogiae et similitudines sint inevitabiles. *Ex uniformitate* proinde *non sequitur adesse derivationem.*

THESIS LVI. — Pie etiam et utiliter sancti, sive Angeli, sive homines, a viventibus nobis invocantur. (W. 492 ; P. 640 ; Petav. XIV, 10).

Quid *invocatio* : Invocantur sancti, ut ipsi orent pro nobis, ut meritorum applicatione nos juvent, ut preces nostras Deo offerant.— Thesim negaverunt : Manich., Vigilant. (M. 23, 344), Albig. et Waldens, Wicleff, Luther, Calvin (*Instit. chr.* 3, 20, 23). — Concil. Trid. s. 25 (D. B. 984), *definivit* « Sanctos... orationes suas pro hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare »...

1. *E. Script.* : Pie et utiliter viventes invocati pro viventibus : 1 *Reg.* VII, 8 ; *Job.* XLII, 8 ; *Rom.* XV, 30 ; *Eph.* VI, 18, s. ; 1 *Tim.* II, 1, etc. — Deus saepe beneficia contulit viventibus ob aliorum vivorum intercessionem : *Gen.* XVIII, 23, ss. ; *Ex.* XXXII, 10; *Num.* XII, 9. ss.; 3 *Reg.* XVII, 17 ss. ; *Mt.* XXV, 21 ; 20. VII, 3 ; *Act.* XXVII, 24, 37 ; etc.— Atqui, si hoc verum est de invocationibus ad vivos et de orationibus vivorum hic peregrinantium, a fortiori de coelicolis idem affirmandum est, cum, ex una parte,magis valeant apud Deum, ex altera vero preces nostras cognoscant *q.* 72, *a.* 1), nobisque benefacere exoptent ; neque inde timendum est quominus Christi mediationi officiant. — Ceterum S. Script. diserte testatur angelos et homines vita functos pro mortalibus orare : *Tob.* XII, 12 ; *Zach.* I, 12, 13 ; 2 *Mach.* XV, 11, ss.

2. Ex *Traditione*: (*Cf.* W. 492 ; P. 645 ; Bellarm. *Controv.* 4, *l.* 1. *c.* 19. *cf.* etiam textus allatos in *th. praeced.*). Adde *praxim Ecclesiae* : Euseb. P. E. XIII, 11 (M. 21, 1095). *Cf. Act. Martyr.* ; liturgias ; inscriptiones...

3° *Ratione th* — Haec invocatio — a) conformatur ordini a Deo in rebus constituto (S. Th. *Suppl. q.* 72, *a.* 2) b) Sanctos honorat, — c) Christum glorificat, — d) nobisque valde prodest.

Scholion. 1° Etiam inferiores sancti utiliter invocantur : (*Suppl. q.* 72, *a.* 2. *ad.* 2 ; 2. 2. *q.* 83. *a.* 11, *ad.* 4. — Num etiam *animae in Purgatorio* detentae ? *V.* P. 647.

II. De cultu Reliquiarum.

THESIS LVII. — Licitus, pius ac utilis est cultus reliquiarum. (W. 502 ; P. 648 ; Petav. XIV, 11-18).

Reliquiae, proprie sunt ipsae sanctorum exuviae ; latiori sensu, id omne quo Sancti usi sunt. Coluntur relative, propter excellentiam sanctorum ad quos pertinuerunt. — Contra Vigilant. et Protest., th. est *de fide :* Concil. Nic. II (D. B. 307) ; Lateran. IV (440) ; Constant (679) ; Trid. (985 et 998).

1° *Scriptura* refert cultum reliquiis quibusdam redditum, et miracula tali cultu obtenta : v. g. : de ossibus Joseph (*Exod.* XIII, 19 *coll. Eccli.* XLVIII, 44) ; de sudariis S. Pauli (*Act.* XIX, 12), etc.

2. *Ecclesiae perpetua traditio* : — a) praxis etiam primitiva *(Martyr. Polyc.* 17) ; — b) conciliorum et Patrum doctrina (W. 502) et miracula ab eisdem relata (W. ; *cf.* P. 652). *Cf.* in *Breviario*, fest. SS. Reliquiar., in fine Octobris.

3. *Ratione* : — a) Ex relativa excellentia reliquiarum ; — b) ex humano ingenio et usu quotidiano *(cf.* S. Aug. *C. D.*, I, 13 (M. 41, 27) ; S. Jo. Damasc. *F. O.*, IV, 15 (M. 94, 1166) ; S. Thom. 3 *p.*, *q.* 25, *a.* 6 ; — c) ex utilitate nostra : ut firmetur fides resurrectionis, vincanturque pravae corporis illecebrae *(cf.* P. 653).

4. *Indirecte* : Patres nunquam reliquiarum cultum reprehendunt, sed superstitiones aliquando adjectas ; nec abusus accidentalis causa est cur usus tolli debeat. — Error vero circa reliquiarum authentiam cavetur ab Ecclesia : qui,licet accidat, non est maximi momenti, cum, non obstante errore, honoretur Sanctus ad quem res pertinere censetur.

II. De cultu sacrarum imaginum.

THESIS LVIII. — 1) **Pius et licitus est cultus SS. imaginum, 2) non quidem absolutus, sed relativus** (W. 657 ; Petav. XV, 11-18).

Status quaest. — 1) Distingue *dogma immutabile*, et *actualem usum dogmatis*, qui subditur disciplinae pro circumstantiarum necessitate variandae. Hinc explicatur — a) cur usus imaginum initio Ecclesiae rarior : quae tamen neque tunc inusitatae ; — b) cur, inter has ipsas, frequentiores picturae statuis ; — c) cur variae consuetudines circa repraesentationem Dei et Spirituum. (W. 506, 507 ; P. 669 ; Petav. XV, 13, 14).

2. *Error Iconoclast.* ab imperat Leone Isaurico Sec. VIII invectus, damnatus ab Adriano I, a Concil. Nic. II, a Cp^lno. IV — Conc. Francof. non doctrinae Niceni contradixit,sed versioni adulteratae quae manifestum errorem continebat. — Eadem haeresis, a Protestant. renovata, rursum damnata est a Trid. *sess.* 25. (*V.* P. 657-662 ; Petav. XV, 11, 12).

I. **Pius et licitus est cultus sacrarum imaginum.** *De fide* (D. B. 302 sq.) (985, 998).

1. **Ex traditione.** — a) In catacumbis, depictae fuerunt, ab initio, imagines Christi, B. Virginis, Apostolorum et Martyrum, nimbis etiam redimitae. — b) Manifesta sunt testimonia Patrum (W. n. 509 et P. 861).

2. **Ratio th.** — a) Ex hominum ingenio et usu quotidiano ; — b) ex indole hujus cultus, in quo honor redditur exemplari in imagine ; — c) ex magna utilitate nostra : 1) ad instructionem praesertim rudium. (*Cf.* Concil. Cp. IV (D. B. 337) ; 2) ad memoriam sanctorum conservandam et renovandam ; 3) ad affectum devotionis excitandum, etc.

3. **Scriptura**, a) non prohibet christianis imagines : tota prohibitio respiciebat Judaeos, propter ipsorum propensionem ad idololatriam ; imo, ut notat Adrianus I, probat cultum imaginum non esse malum, cum referat Deum Moysi mandavisse ut faceret serpentem aeneum, duo Cherubim super arcam.

II. **Cultus hic non est absolutus, sed relativus.** (III, *q.* 25, *a.* 3 ; W. 515 ; Petav. XV, 15-18. Pesch. n. 665-669.)

1. Auctoritate Conciliorum, Patrum, Doctorum omnium (W. 515).

2. Ratione th. Imago considerari potest, vel ut res quaedam, et ita nullam meretur reverentiam, vel ut imago, et ita non habet nisi excellentiam relativam. — Haec certa et facilia.

Sed subtilior occurrit quaestio, **qualis sit** et quo modo reddatur imagini **hujusmodi cultus.**

1° Qualis, utrum mere *externus*, an etiam *internus* ? **R.** Dirigitur ad imaginem actus externus reverentiae sed hunc comitatur actus intellectus, agnoscens hanc reverentiam externam deberi, et actus voluntatis eamdem praecipiens.

2° Sed *quomodo* hic actus reverentiae externus *terminetur ad imaginem*, alii aliter. **1° Sent.** : Terminatur revera ad exemplar solum, quod solum intenditur, quando reverentia exhibetur coram imagine. Dico : hoc quidem potest fieri, sed non adest tunc cultus imagini redditus. — **2ª Sent.** : Attinguntur imago et exemplar per modum unius, eodem actu, imago quidem relative, exemplar absolute. Ita S. Th. *a.* 3. — **3ª Sent.** Attingitur in recto ipsa imago per illam reverentiam imagini exhibitam, et exemplar in obliquo. Ita. Bellarm. *de Eccl. triumph.* II, 25, et alii satis communiter. — **Dico** : cultus relativus imagini redditur modo secundum explicationem sententiae 2ªe, modo sec. explicat. sent. 3ªe, pro varia adorantis consideratione et intentione. Sed vulgo videtur reddi juxta modum sententiae 3ªe, quod etiam innuit Conc. Nic. II (W. 501). *(Cf.* de his Suar. *de Incarn.* LIV, 4, 5 ; Lugo, XXXVII, 3 ; Jungm. *de Inc.* n. 395, sqq.).

3° Ex his facile responderi potest **alii quaestioni** : cujus speciei sit cultus imaginum : an ejusdem simpliciter atque cultus exemplari redditus. Si adoratio habetur quomodo explicat 2ª Sent., ejusdem certe est speciei ; imo est idem cultus ; si quomodo explicat 3ª, est cultus inferioris rationis, reductive tamen denominatur cultus relativus latriae, hyperduliae, duliae, secundum speciem cultus qui exemplari redditur : quia analogice correspondet cultui proprie dicto latriae, hyperduliae aut duliae, sicut homo pictus vel sculptus homini vero... Ita Bell. *l. c.* — *(Cf.* etiam P. 665, *sq.).*

Schol. Rationes adesse possunt cur aliquae imagines prae aliis colantur (P. 667). — De imaginibus Dei (P. 669). — De homine, ut est imago Dei (P. 670). — Quod de imagine diximus, ipsi nomini debet applicari.

IV. De cultus Crucis.

THESIS LIX. — Crux Christi veneranda est. (W. 498 ; Petav. XV, 7-10 ; P. 671).

Adversus Julian. Apostat., Wicleffit., Protest., hodiernos crucis ejectores aut confractores.

1. **Crux vera** Christi (3. *p. q.* 25, *a* 4). — a) Ecclesiae praxis a tempore inventionis S. Crucis ; duplex festum ; — Patrum testimonia (W. 498). *Cf.* S. Cyrill. *Catech.* IV, 10 ; X, 19.)

b) Rat. theol. : Memoriale Passionis et immensi amoris Christi ; illius contactu et sanguinis affusione consecrata ; salutis nostrae instrumentum.

2. **Imagines verae crucis.** Ex praxi Ecclesiae (W. ; P. 671 ; *cf.* PETAV. XV, 9) ; ex Gentilium criminatione.— Ratio : Christi memoriale, et virtutis omnis incitamentum, omnisque doloris levamen.

3. **Signum crucis, manuformatum** : Ab initio Ecclesia promovit, miracula approbaverunt ; piissimis motivis adhibetur et felicissimo fructu (*V.* W. p. 344 ; P. 671 c. ; *Cf.* PETAV. XV, 10).

INDEX ANALYTICUS.

DE VERBO INCARNATO.

	Thes.	Pag.
PROOEMIUM.		1
PARS PRIOR : De mysterio Incarnationis.		6
SECTIO I. De Incarnatione in ordine intentionis		6
ART. I. De ejus necessitate	I	6
ART. II. » » possibilitate	II	10
ART. III. » » causa finali	III	11
SECTIO II. De Incarnatione in ordine executionis		13
ART. I. De ejus praeparatione seu praedictione	IV	13
ART. II. » » retardatione		17
ART. III. » » efficientia	V	17
SECTIO III. De Incarnatione in ordine existentiae = de ejus essentia .		18
CAPUT I :		18
ART. I. De vera Christi natura humana	VI, VII	18
ART. II. » » divinitate		20
§ 1. Testimonium S. Pauli	VIII	21
§ 2. » S. Joannis	IX	25
§ 3. » synopticorum	X	27
in specie de filiatione naturali	XI	29
§ 4. » Ecclesiae Antenicenae	XII	33
ART. III. De unione duarum in Christo naturarum		41
§ 1. De unione in una persona	XIII	43
§ 2. De duarum naturarum distinctione	XIV	54
§ 3. De duplici in Christo voluntate	XIV^{bis}	55
CAPUT II :		56
ART. I. De unione hypostatica secundum se		56
§ I. Conceptus unionis hypostaticae	XV	56
§ II. Ejus notio philosophica	XVI	57
§ III. Proprietates ejus	XVII	61
ART. II. De unione hypost. ex parte Personae assumentis . . .	XVIII	63
ART. III. » » » » » naturae assumptae . . .	XIX	65
SECTIO. IV. De consectariis unionis — A) pro Composito theandrico .		
ART. I. De communicatione idiomatum	XX	67
ART. II. De filiatione divina Christi hominis	XXI	69
ART. III. De cultu Christi : 1. De adoratione Christi	XXII	71
2. » » SS. Cordis Jesu	XXIII	73
SECTIO. V. De consect. unionis — B) pro natura assumpta . . .		77
ART. I. De sanctitate		77
§ 1. — substantiali	XXIV	77
» 2. — accidentali	XXV	79
ART. II. De scientia Christi humana		81
§ 1. De ejus existentia et natura	XXVI	81
§ 2. De ejus extensione seu perfectione	XXVII	85
ART. III. De impeccabilitate	XXVIII	92
ART. IV. De libertate		96
§ 1. Ejus existentia et amplitudo	XXIX	96
§ 2. » conciliatio cum impeccabilitate	XXX	97

	Thes.	Pag.
Art. V. De potentia	XXXI	106
Art. VI. De naturalibus perfectionibus et defectibus	XXXII	107
PARS ALTERA. De mysterio Redemptionis		113
Prooemium, de Christo mediatore	XXXIII	113
Caput I. De Christi Redemptoris satisfactione et merito		113
Art. I. De redemptionis realitate		114
§ 1. Doctrina catholica exponitur et ratione vindicatur	XXXIV	114
§ 2. De redemptionis per satisfactionem revelatione	XXV	118
Art. II. De redemptionis necessitate	XXXVI	127
Art. III. De perfectione satisfactionis Christi	XXXVII	129
Art. IV. De universalitate hujus satisfactionis	XXXVIII	131
Art. V. De merito Christi	XXXIX	131
Caput II. De muneribus Redemptoris		132
Art. I. De sacerdotio Christi	XL	133
Art. II. De munere prophetico, seu magisterio	XLI	135
Art. III. De munere regio	XLII	136

DE B. V. MARIA.

Prooemium		139
PARS I. De B. V. M. in se considerata		140
Caput I. De Maternitate divina.	XLIII	140
Caput II. De praeparatione, seu praeexist. B. V. M.	XLIV	143
Caput III. De summa perfectione B. V. M. in statu viae		145
Art. I. De naturali ejus perfectione		145
Art. II. De sanctificatione prima		145
§ 1. — negativa	XLV	145
§ 2. — positiva	XLVI	146
Art. III. De perpetua et perfecta virginitate	XLVII	147
De matrimonio B. V. — De S. Joseph		152
Art. IV. De sanctitatis incremento et perfectione	XLVIII	154
Caput IV. De vita B. M. V. gloriosa		156
Art. I. De assumptione	XLIX	156
Art. II. De gloria coelesti	L	158
PARS II. De B. V. M. in ordine ad nos		160
Caput I. De muneribus B. M. V. erga nos		160
Art. I. De cooperatione redemptioni	LI	160
Art. II. De munere Mediatricis intercessionis universalis	LII	162
Art. III. De maternitate ejus erga homines	LIII	164
Caput II. De officiis nostris erga B. V. M.		166
Art. I. De cultu debito B. V. M.	LIV	166
Art. II. De hujus devotionis necessitate et utilitate	LV	168

APPENDIX.

De cultu Sanctorum		171
eorumque invocatione	LVI	172
De cultu Reliquiarum	LVII	172
» » Imaginum	LVIII	173
» » S. Crucis	LIX	174

233
G255 Gaye, Dominico 3522
[redacted]
AUTHOR
De Verbo Incarnato Tractatus
TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	Crowley	MAR 7 233
	[illegible]	APR 29
	J. Carroll	SEP 26
	Martin	Oct 19
	Martin	DEC 6
	Taylor	JAN [illegible]

3522